DE AUCTORITATE ET ORIGINE EXEMPLORUM ORATIONIS SOLUTAE GRAECORUM QUAE PRISCIANUS CONTULIT

capita selecta

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS MUELLER
HELMSTADIENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA KARGIANA ET MANNECKIANA
MCMXI

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.
Referent: Geheimrat Prof. Dr. Ludwich.

LUDOVICO JEEP
ARTHURO LUDWICH
OTTONI ROSSBACH
SACRUM

Praemonitum: Loci a Prisciano (GLIII Lips. 1859) allati auctoris nomine non indicato enumerantur:

A. Demosthenis:

1.	XXI § 78	=	p. 323,20
2.	XXI § 29	=	p. 375,19
3.	XVIII § 67	=	p. 303,23
4.			p. 321,11
5.	XXIV § 120	=	p. 360,5
6.	XIX § 18	=	p. 357,21
7.	XIX § 240	=	p. 346,21
8.	XXI § 158	=	p. 305,10
9.	XXXVII § 53	=	p. 365,20
10.	I § 1	=	p. 328,10
11.	XIX § 263	=	p. 305,21
12.	XXVIII § 7	=	p. 311,7
13.	LVII § 17	=	p. 358,13
14.	XXVII § 5	=	p. 314,5

B. Platonis [1]):

15.	Alc. I	106 E	=	p. 321,18
16.	Phaedrus	227 A	=	p. 350,8
17.	Menex.	242 D	=	p. 349,1
18.	Phaedo	57 A	=	p. 315,5
19.	Charm.	157 D	=	p. 305,23
	(Conviv.	174 E	=	p. 317,3)

C. Herodoti:

20. VII 150 (= VI 63) = p. 357,17
21. I 15 = p. 387,10
22. I 59,52 = p. 280,12
23. Xenophontis Hell. VI 2,22 = p. 397,4
24. Phrynichi comici versum p. 305,2 et Theopompi comici II p. 290,1 glossam et p. 356,11 Apollodori [2]) comici versum.

---

[1]) De locis in indice B collectis in altera huius opusculi parte, quam propediem alio loco editurus sum, agam.

[2]) Neque enim ullus locus apud Priscianum reperitur, ubi nomen additum est fabulae solius, sed multi exstant, quibus auctoris solius nomen legitur (p. 332,2; p. 290,4; p. 327,2). Accedit quod huic versui Apollodoreo eiusdem versionem Latinam a Terentio in Phorm. I 2 v. 27 datam Priscianus subiunxit. Donatum (ed. Wessner II Lips. MCMII p. 371), si Apollodori Carysti exemplar, quo λακτιζέτω forma tertiae personae continetur, inspexisset, illam versionem Terentianam pro tertia persona habiturum uisse puto.

Caput I: De decem oratoribus Atticis citatis.

§ 1. De Demosthene.

Archetypum codicum Demosthenicorum in tres classes discedere Blassius in editionis vol. I. praefatione p. XVI [4] 1884 et Drerupius in Philologi suppl. VII p. 551 demonstraverunt, quarum primae optimus Parisinus S [1]), alterius Augustanus I (A), quem librorum Demosthenis auctoritate secundum sed „principi S proximum esse A“ [2]) Spengelius probavit, tertiae ex illis duabus familiis mixtae codices Venetus F Bavaricusque B antistites sunt. A Blassio ea Demosthenis verba, quae in citando a rhetoribus grammaticisve omissa, in codicibus tamen Demosthenicis plena exhibita sunt, nulli offensioni obnoxia ablata esse eius index interpolationum (l. l. inde a. p. CXXXVII sqq.) argumento mihi est. In hoc enim spongia illa deletili tantopere abusus est, ut non solum omnia verba a quovis grammatico male neglecta sed etiam permulta eorum, quae a nullo nisi ab hoc viro docto in suspectum vocata sunt, de medio tolli iussit. E contrario Voemelius [3]) Lipsiusque, [4]) etiamsi eorum hic non pauca verba — exempli gratia XVIII § 265 quattuor et § 143 tredecim – in orationibus Demosthenis edendis exstinguenda apte concessit, tamen cum nullam

---

[1]) ut siglis Blassianis praef. X utar.

[2]) in programmate Monacensi 1842 de Aug. I p. 10.

[3]) in ed. Dem. contionum Halis 1856.

[4]) Dem. de cor. or. Lipsiae MDCCCLXXVI.

vocem a Prisciano simul et in una codicum classe neglectam ex contextu Demosthenico expellere ausi sint, nimis cauti in servandis codicum verbis videntur fuisse. Idcirco mediam quandam viam ingressus in paucis vocibus expellendis Blassio me applico, si quidem verba non extrema sed media in citando a Prisciano omissa aptius cum hoc teste desiderantur, sive quod usus Demosthenicus omissioni favet, sive quod aut ut glossema per se accipitur aut positione variata in codicibus Demosthenicis postea additum esse videtur.

In eo potissimum Blassius duobus locis errat, quod verba extrema laudationis forte a Prisciano non iam collaudata tamquam pannos ab aliena manu assutos et XVIII § 35 = Pr. p. 318,2 ἐχθρόν et IV § 24 = Pr. p. 370,15 πλέοντα participium post οἴχεται delevit, non quo hoc participium grammaticus quoque in exemplari suo non legeret, sed quia voluntate id exscribere noluit, cum ad praeceptum a se datum omnino non iam pertineret. (cf. εἶναι sic. omissum p. 173,2 = LV 8.) Deinceps Priscianus altero loco ἐχθρόν nomen adiectivum omisit, quod Blassius nulla alia de causa expulisse videtur, nisi quia, si omitteretur, rhythmi leges ab ipso demum ad arbitrium fictas Demosthenes melius sequeretur, [1]) sed mihi etiam aequabilitas membrorum flagitare videtur, ut ἐχθρόν adiectivum in hac § addatur vel potius retineatur. Demosthenes enim duplici φίλος adiectivo duplex ἐχθρός adiectivum respondere et eam adiectivorum dispositionem: ἐχθρός . . . φίλον, φίλος . . . ἐχθρόν, quam chiasticam vocamus, dedita opera ponere voluit.

Deinde in or. X § 4 = Pr. p. 342$_{22}$, violentius Schaeferus (in edit. Reiskiana ad p. 132,$_{17}$) neque Prisciano neque ullo alio teste admonente verba

---

[1]) Nam, si ἐχθρόν retinemus, syllabae inde ab (αὐ-)τὸν hexametrum dactylicum efficiunt, de quo vide Blassium in libro. q. i.: Die Rhythmen der ant. Kunstprosa. Leipzig 1901, p. 43.

„οἱ τυραννίδων καὶ δυναστειῶν ἐπιθυμοῦντες“ expelli iussit. Immo vero hoc appositum in codicibus Priscianeis et Demosthenicis satis stabilitum videmus, quippe quod illam „Demosthenis vim“ prodat.

Eo libentius or. VI § 16 = p. 282,11 et 301,12. Blassium secutus οὐκ ἄν additamentum a Prisciano alienissimum esse puto, quod in duabus codicum S A familiis haec verba οὐκ ἄν ἡγ. in οὐδ' ἄν ἡγοῦμαι abierunt et in tertia classe cōdicum B F: οὐκ ἄν voces non suo loco ante verbum ἡγοῦμαι sed post hoc positae sunt. Quae collocatio variata non solum nobis [1]) suspicionem movet, sed etiam docet ita factum esse, ut illa verba οὐκ ἄν in archetypo oratoris codicum primum superscripta variis modis a librariis in verborum contextum reciperentur.

Postquam alterum interpretamentum „τόκοις“ in or I § 15 = p. 366,19 opera Prisciani locum laudantis post τοῖς μεγάλοις [2]) neutrum genus (id est „magnis fenoribus“ ling. vernacula „um Hohes“) adiectum deprehendimus, Weilium (in editione „des orations politiques“) et Blassium in eandem offensionem, quae in τοῖς articulo adiecto continetur, incidisse laetamur. Priusquam cum his vv. dd. „τόκοις“ substantivum e contextu eiceretur, cur τοῖς articulus a Demosthene adiectus esset, explicari non potuerat. Nunc vero intellegimus eum scribam τόκοις adiecisse, qui illam nudi neutrius generis significationem „fenoris“ loco τόκοις substantivi usurpati, si cum δανειζόμενοι coniungitur, non iam perspexit, quamquam eidem generi neutri τῶν ἀρχαίων, quod vice „τοῦ κεφαλαίου“ id est „sortis“ substantivi fungitur, substantivum κεφαλαίων

[1]) L. Spengelio praeeunte p. 641 sub calcem editionis Varronis de lingua Latina librorum Berolini MDCCCXXVI.

[2]) cf. or. XIX § 99 „ἐπὶ πολλῷ ἄγοντες“ τόκῳ non adiecto. Sed hoc glossema iam Stobaei temporibus in contextum Dem. invasisse testatur in ed. Wachsm. III p. 666. Stobaeus ipse.

non addidit. Hoc in comparatione intactum reliquit, quod huius usus ei notior quam illius fuit.

Cum in eadem § 15 Dobreus [1]) et Weilius [2]) editor ἂν coniunctionem solam, Blassius una cum hac verba praegressa καὶ ἡμεῖς nullis testibus aut codicibus Demosthenis usi virga quadam censoria notaverint, equidem et Prisciani et codicum auctoritatem quam editorum sequi malo, quia huic enuntiato conditionali, ἂν ἐπὶ πολλῷ φανῶμεν alterum ἐὰν ἀμελήσωμεν enuntiatum in eadem § praegressum ad amussim respondet. Sin cum Dobreo Weilioque ἂν coniunctionem solam omitteremus, sterilem parataxin quattuor commatum, ternaria καί coniunctione annexorum Demostheni inculcaremus. Hanc autem nimis gravatam periodum, ut ab illo primo enuntiato καί annexo absolvamus, ἂν coniunctione in codicibus tradita defendenda assequimur. In Prisciani testimoniis ad contextum ab emblematis purgandum conferendis summam cautionem adhiberi oportere vel ex verbo λέγειν in § I or. IV = p. 371,8 a Blassio uncis saepto cognoscitur. Memoria figurae Sicelicae, quae illo infinitivo λέγειν a Blassio omisso contineretur, non excidit mihi, sed eam non tam hoc loco quam aliis locis, velut XVIII § 11 infinitivi ἀκούειν omissionem, quam Priscianus una cum codicibus praeter codices B F Q Y confirmat, adhibitam esse non nego. Nostro autem loco invitis Prisciani Demosthenisque codicibus Blassius λέγειν in suspectum vocavit, quod grammaticus loco eius verbum synonymum [3]) σκοπεῖν, ut assol et substituit. Ne Spengelio [4]) duce verbum σκοπεῖν pro genuino Demosthenis v e r b o habeamus, impedimur, q u o d lexicographus Priscianeus in hoc verbo excerpendo ex vocibus, quae paulo infra subsequuntur,

---

[1]) in eius Adversariis vol. II (Berolini 1874) p. 3.

[2]) in ed ad. h. l.

[3]) vel potius eiusdem similisve significationis.

[4]) p. 642.

„καὶ νυνὶ σκοπεῖν“ desumptum male huc transtulit. Ut exempla aliorum scriptorum, in quibus provocandis 1. Priscianeus verba similis significationis confudit, praetereeam, Demosthenis duo verba commemoro: X § 4 = p. 342,22 ἐπιχειροῦντες pro ἐπιθυμοῦντες, XIX § 81 = p. 299,20 δέει pro φόβῳ. Quem locum Hertzius[1]) Schaeferusque[2]) Demostheni male abiudicantes ad Hyperidem vel Lycurgum transferebant, sive quod hoc aberrationis genus in codicibus Priscianeis late patere nesciverunt, sive quod h. l. verba περὶ τοῦ … usque ad τὰς Ἀθήνησιν (εὐθύνας) a librariis Priscianeis taedio describendi saepe affectis in unicum verbum περιῇν contracta suo loco mota sunt. Idem vitium in papyris grassari Blassius in annalibus Phil. v. CXLV p. 42 ἡγεῖσθαι pro οἴεσθαι exemplo iam docuit.

Eo libentius figuram „Sicelicam“, quae vocatur, or. XVIII § 11 = p. 284,17, ubi post βουλομένοις subtractum verbum ἀκούειν satis ex ceteris intellegitur, agnosco, quod ἀκούειν non solum in Prisciani codicibus sed etiam in Demosthenis codicum tertia familia (BF QY) omissum est. Idem autem verbum ἀκούειν per hanc figuram frequentatum esse a Demosthene in indice (s. v.) interpolationum Blassius satis testatur.

Ibidem quidem (§ 11) emblema οὑτωσί ante γεγενημένης, quod una cum Prisciano duae classes codicum S (L[1] Vindob 6) A (ks) nondum interpolatum praebent, Blassio et Goodwino[3]) praeeuntibus tollam. Tamen alterum participium ipsum γεγενημένης, quod Blassius Spengeliusque (l. l. p. 640) Prisciani solius omissione confisi sustulerunt, cum Goodwino consentiens retineo, quia neque ullum Demosthenis codicem eam contestantem neque Priscianum in participiis potissimum servandis cautum deprehendimus his locis:

---

[1]) ad. p. 371,8.

[2]) ibidem apud Hertzium.

[3]) ed. Dem. „on the crown“ Cambridge 1901 ad h. l.

Plat. Charm. 157 D = p. 305,23 ὢν post χείρων } omissum est.
Isocr. XIV § 5 = p. 339,14 οὔσης post εἰρήνης }

Contra in Dem. XVIII § 10 (= p. 296,14) ὄντα [1]) participium a lexicographo Pr. ultro adiectum videmus, ut constructionem enuntiati insequentis ὄντα οἷον οὗτος ἠτιᾶτο magis perspicuam redderet. Accedit quod, si γεγενημένης participium deesset, adverbium ὕστερον, cui opponeretur, nihil haberet, quamquam Demosthenes dicere voluit πομπείαν re vera factam esse.

Porro in or. XIX § 70 = p. 311,9 a Prisciano τοῦτον pronomen sive forte sive quod ad praeceptum ab eo datum nihil valebat, omissum in contextu Demosthenico retinendum censeo. Nam Demosthenes et hoc loco et duobus aliis locis (XVII § 103 et § 248) τοῦτο pronomen de rebus, quae id subsequuntur, dixit. Quem Demosthenis usum dicendi sequi malo quam legem a Blassio [2]) fictam, ex qua pronomen οὗτος, ubi ad ea quae sequuntur, spectat, e contextu Demosthenico iniuria eiecit.

Neque aliter res cum ἀεί adverbio in XVIII § 248 = p. 186,22 a Prisciano solo neglecto se habet, quia omissionibus Priscianeis ullam fidem dandam esse nego, nisi ulla codicum Demosthenicorum familia aut constans eius usus iis forte favet. [3]) — Utrum autem hoc loco in Hermogene eiusque scholiastis plus diligentiae verba servandi quam in Prisciano insit, qui p. 371,8 = Dem. IV § 1 πρότερον adverbium testimonio suo diserte testatur, an Blassius illorum omissionibus plus iusto attribuerit, in dubio relinquam.

---

[1]) hoc participium εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον verbis subaudiendum esse Goodwinus in Syntax of the Greek Moods and Tenses p. 911 observavit.

[2]) in indice editioni Rehdantzii subiuncto s. v. οὗτος (Lips. 1886).

[3]) Accedit quod AEI post KAI propter duas pares litteras A et I eo facilius apud Priscianum excidere potuit.

Denique *ἄλλα* adiectivum, quam crebro post abnegationes immissum sit, s. v. *ἄλλος* indicis interpolationum Blassius monstrasse videtur. In (XIX § 23 = p. $347_{,8}$) hunc quoque locum *ἄλλα* postea invasisse nemo non huic viro docto concedet, „quia omnibus locis a lectore simul cum abnegatione audiatur“.

Illum accusativum *ἄλλα* l. l., cur insererent, tum demum librarii primae S classis et tertiae B F codd. habuerunt, cum figura synemptosis *πλὴν ἅ*, cuius gratia lexicographus Pr. totum exemplum exscripserat, in *ὧν* vulgarem genetivum ex *πλήν* praepositione suspensum ab iis oblitterata erat. Sed in altera classe A k s codicum, in cuius principe A prima manus scribae oscitantis illum alterum accusativum *ἅ* primum in vulgarem genetivi *ω''''* constructionem depravaverat. Postea ipsa alterius scribae manus *ω''''* in accusativum *ἅ* commutavit. Ergo in communi huius *A* et codicum k et s archetypo *ἅ* [1]) scriptum fuisse inde concludo, quod in codice „s“ Parisino 2940 difficiliorem lectionem eandem atque a Prisciano praebitam videmus. Cum hoc enim codice Augustano I „A“ lexicographi Priscianei codicem Demosthenicum artiore quam cum ceteris cognationis vinculo coniunctum esse iam demonstraturus sum his lectionibus:

	Priscianus cum cod. A.	ceteri codices (S B F)
1.	III § 36 = p. $327_{,5}$ <u>*ὑμῶν*</u> et Bk. An. p. $156_{,2}$	*ἡμῶν*
2.	XIX § 23 = p. $347_{,8}$ *ἐβούλεσθε*	*ἠβούλεσθε* [2])
3.	XVIII § 107 = p. $373_{,22}$ *ποιεῖν οἱ πλούσιοι*	*ποιεῖν* <u>*ἐθέλειν*</u> *οἱ πλούσιοι* [3])

---

[1]) similiter variant codices Isocratei II § 11 *ὧν Γ* prima manu, *ἅ* corr. 3 et codex *Λ*.

[2]) cf. Voemelii Prolegomena Gramm. § 79 in ed. Dem. Contionum Halis 1856 „*ἠβούλεσθε* atticum et pulcrius dici a grammaticis, *ἔμελλον* item frequentius esse in *Σ* quam *ἤμελλον*“.

[3]) Aut *ἄν* syllabam primam verbi *ἀναλῶσαι* duplicari aut *ἐθέλειν* accessionem ceterorum codicum retineri iussit Rauchensteinius in „Zeitschrift f. Altertumswissenschaft“. (1851 p. 428.)

4. I § 15 = p. $337_{,10}$ ὄνπες	ὥσπερ [1])
5. XVIII § 3 = p. $340_{,5}$ [2]) δυσχερὲς οὐδὲν εἰπεῖν	δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδέν
6. XIX § 212 = p. $327_{,18}$ [3]) μηδενὶ ὑμῶν	μηδενὶ νῦν ὑμῶν
7. XXIV § 29 = p. $371_{,21}$ [4]) τοσοῦτον ὑπερεῖδε	τοσοῦθ' ὑπερεῖδε
8. XXI § 5 = p. $321_{,8}$ Εἰ μὲν οὖν (in cod. A sequitur „ωθ·“ compendium allocutionis ὦ ἄνδρες' Ἀθηναῖοι, quae apud Priscianum aptius deest) παρανόμων ἢ παραπρεσβείας ἤ τινος ἄλλης (sic Priscianus, sed cod. A „ἄλλης τινὸς“) τοιαύτης αἰτίας ἤμελλον αὐτοῦ κατηγορεῖν, οὐδὲν ἄν. [5])	Εἰ μὲν οὖν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι παρανόμων ἢ παραπρεσβείας ἤ τινος ἄλλης αἰτίας ἤμελλον αὐτοῦ κατηγορεῖν τοιαύτης, οὐδὲν ἂν et illa deinceps.

Hanc Prisciani et codicis A collocationem verbi τοιαύτης Blassius sagaciter probavit, cum ἄλλης uncis male saepserit. Sed Dindorfius fortasse rhetoricis de causis adductus est, ut τοιαύτης pronomen in fine enuntiati conditionalis codicem S secutus ponere mallet, quamquam collocatio Prisciani, quam ars grammatica exigit, a me praefertur. Neque vero in τοιαύτης voce sed in κατηγορεῖν verbo attollenda est vox, quia hoc illi verbo παραιτεῖσθαι in extrema periodo contrapositum est. Accedit, quod papyro, quae a Blassio in Fleckeiseni Annal. v. CXLV p. 32 optime promulgata est, et haec verborum collocatio τινος ἄλλης τοιαύτης et

[1]) Hanc forman emendatiorem ὥσπερ altero loco p. 366_{19}, ubi Priscianus eundem locum repetivit, recentissimus Prisciani diasceuasta ex cett. codicibus Demosthenicis S B F comparatis petivisse videtur.

[2]) Transpositionem, quamquam a lexicographo Priscianeo iam in codice inventa erat, male effectam esse puto, quia Demosthenis imitator quoque in Philippi epistola (= or. XII § 18) „δυσχερές“ a τι pronomine, ad quod spectat, separavit.

[3]) Et in A et lexicographi Priscianei codice νῦν particulam male intercidisse facile est explicatu, quia syllabae et ‚NI‘ eam praecedens et ‚YM‘ subsequens inter se et. illi tam similes sunt, ut inter eas media ‚NYN‘ syllaba facillime absorberi potuerit.

[4]) Demosthenes hoc modo scripsit, quamvis elisione effecta illo modo prolocutus sit; nam τοσοῦτο neutrius generis forma vicies quinquies, τοσοῦτον quinquagies quinquies ab eodem frequentata est.

[5]) cf. Voemelium § 79 l. l.

allocutio ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι a Prisciano apte neglecta omittendo stabiliuntur,[1]) licet Blassio „rhythmus suadeat, ut allocutio retineatur.“ Quisnam est, qui ignoret, commensui a Blassio nimium tributum esse? Fortasse dixerit quispiam, quod in codice Augustano compellatio [2]) hoc compendio „ωθ“ scripta aliter atque in ceteris codicibus plena non exscripta est, eam in hoc quoque codice A postea additam esse.

9. Eo certius in or. XX 30 = p. 285,19 alteram praeclaram verborum transpositionem q. e. ὁ Λεύκων δήπου ξένος Priscianus cum codice A pro ceterorum codicum (velut S) lectione „δήπου ὁ Λεύκων ξένος“ communem habet, qua hiatus evitatur. Qui oreretur, si cum cod. S aliis δήπου ὁ verba poneres. Porro Demosthenes cum hac persona Λεύκων, quippe quam tota oratione a se praedicari vellet, male fecisset, si tam stultus fuisset, ut iuncturam verborum „ὁ Λεύκων ξένος“, cuius hanc ipsam naturam celare debuit, leniente particula δήπου non interposita uno tenore pronuntiavisset.

10. Eodem loco μέν particulam in codicibus S L a prima manu repetitam esse apparet. Quo vitio Priscianus et scribae classis A codicum se abstinuerunt. Nimirum Voemelius, ut est opinione praeiudicata de codice S affectus, ut alteram particulam defenderet, frustra ad or. XIX § 42 adlegavit; ibi autem utrique μέν particulae duplicem δέ particulam respondere, quarum altera nostro loco deest, eum fugit. [3]) Ex his decem lectionibus cum A congruis,

---

[1]) Vehementer in hac re Lipsio adstipulor in ephemeride, Berichte der Sächs. Ges. d. Wiss. Leipzig. 1893 S. 3.

[2]) de qua cf. Voemelium l. l. § 137 „nunquam ἄνδρες Demosthenem omisisse, semper fere plurimos Augustanae familiae codices omittere“.

[3]) Sed cf. III. Philippicae § 13 οἱ μὲν ἐποίησαν μὲν οὐδέν, quam duplicem μέν particulam Dionysius de Dem. 13 diserte testatur.

praecipue ex quinque prioribus vitiosis luculenter apparet lexicographi Pr. exemplar cum hac codicis A familia cognatius quam cum ceteris familiis cohaesisse.

Sed ne eundem codicem grammatico praesto fuisse forte opineris, primum sex lectiones depravatas codicis A, quibus hic cum excerptis Priscianeis discrepat, enumerabo has:

codex A	Pris. cum reliquis familiis:
1) XXI § 5 = p. 321,8 ἄλλης τινός	τινος ἄλλης et cum papyro l. l.
2) XXXVIII § 53 = p. 359,22 ἂν εἰκότως	εἰκότως ἂν
3) L § 66 = p. 172,16 ἤ	ἢ οὐχ
4) XIX § 240 = p. 346,21 περιβάλλειν	περιβαλεῖν
5) XVIII § 20 = p. 370,17 Φιλίππῳ	τῷ Φιλίππῳ
6) XVIII § 19 = p. 290,5 ἀλλήλους (cum L [2])	ἑαυτούς Prisc. αὑτούς Σ (L cett.)

Hanc sextam lectionem ἀλλήλους interpretamentum ad ἑαυτοὺς adscriptum esse luce clarius est, quod lexicographus Priscianeus hoc ipsum exemplum Demosthenicum interpretationi „pro ἀλλήλους huius glossae: ἑαυτοὺς ἀδικοῦσι cum codice A congruenti apponit. Idcirco in lexicographi codice idem scholion margini adscriptum iam fuisse suspicor. [1]) Meliorum scripturarum, cum nullam inter sex lectiones codici A peculiares conspiciamus, hae quamquam perpaucae apud Priscianum inveniuntur, quae, ut par est, a Blassio iam dudum — praeter illam allocutionem XXI 5 apud Priscianum et in papyro omissam — in contextum receptae sunt. Iamvero in XVIII § 314 = p. 359,10 συ[ν]ζῶντα formae duplici Prisciani testimonio, et exemplo et lemmate, atque codicis Demosthenici Laurentiani 3 stabilitae Voemelius ceterorum codicum particulam „νῦν (ζῶντα)“ praetulit, ut πρότερον et νῦν adverbia magis perspicue quam hoc verbo composito συζῶντα fieret, inter se oppone-

[1]) cf. IV 10 X 21 L 18 eundum usum pronominis ἑαυτοῦ.

rentur. Hoc quidem in meum commodum convertam; quo enim magis omnes, qui legebant, haec duo verbi tempora „γεγενημένον" et „τὸν συζῶντα" [1]) inter se opposita esse sentiebant. eo facilius νῦν adverbium praesenti tempori a quovis subauditum addere potuerunt. Hoc adverbium νῦν vicies interpolatum esse Blassius s. v. in indice evicit. Et Voemelius ipse altero huius orationis loco § 5 νῦν codicum omisit. Extremo loco facile est ad intelligendum, quomodo particula νῦν primum supra νῦν ζῶντα superscripta praepositio συν ab archetypi scriba nomi am recepta sit, ut hoc exemplum σύν praepositionis abundantis causa, ita quoque or. XLI § 6 = p. 308,5 propter „mensurae dativum" χιλίαις cum ἔλαττον comparativo gradu coniunctum a lexicographo Prisciameo prolatum est. His lectionibus praecipuam auctoritatem inhaerentem in omnibus eiusmodi laudationibus vidimus. Itaque nescio, cur Blassius ὑπέρ praepositionem, quam Priscianus in IV § 1 = p. 371,18 canone suo et S Y A codices pro vulgatae memoriae περί praepositione diserte contestantur, in περί commutaverit. Illum dativum mensurae altera tertiaque familiae codicum (A B F), accusativum τὰς χιλίας unius codicis S stolidus scriba praebet, quippe qui obiectum, quod vocamus, ἐκομισάμην verbi desideraverit. Nequiquam Dindorfius ad h. l., ut hunc deteriorem accusativum codicis S defenderet, proposuit τὰς χιλίας pro „appositione ad ἔλαττον" scripta haberi posse. Sed iterum idem dativus mensurae in eiusdem orationis § 45 πλεονεκτεῖσθαι ταῖς χιλίαις legitur, quo depravatum h. l. esse optimum codicem S apparet.

Denique tertiam lectionem palmarem in ἕως forma relativa pro τέως demonstrativa codicum Dem.

---

[1]) cf. XIX § 69 συζῆν et eandem abundantiam praepositionum Lobeckius ad Phryn. p. 357 enotavit apud Ar. Ach. 227: ἀν μεθ' ἡμῶν ξυμπίῃς.

in or. XX § 91 a Prisciano[1]) solo retentam deprehendimus. „Τέως quoque pro ἕως“ usurpatum esse a Demosthene Voemelius l. l. § 132 demonstrare frustra conatur, licet aliis locis, ubi hiatus vitandus est, illa forma huius vice fungatur. Hunc quidem usum Ionum more apud Demosthenem agnoscere nolim, quamvis et hoc loco et paucissimis aliis a Preussio s. v. τέως collectis τέως formam ita pro ἕως usurpatam in S codice traditam videam. Et postea me videre laetor, iam Blaydium [2]) in eandem emendationem his locis Demosthenicis de suo incidisse, quamquam huius testimonii Priscianei inscius est.

Ego vero, si velim omnibus depravationis exemplis uti, plura proferre possim detrimenta verbis Demosthenis per scribas Priscianeos importata quam illa adiumenta tria.

Neque hae viginti duae depravationes, quarum aliae a Prisciano in lexico transscribendo, aliae a lexicographi librariis iam peccatae sunt, neque illae codicis A propriae VI lectiones cognationem oblitterare possunt, quae inter hunc et codicem a lexicographo Pr. descriptum intercedit. Eidem codici A persimilem codicem Dem. ab Harpocratione in usum vocatum esse post Helmkium (in diss. Berolinensi MDCCCDXXXXVI p. 28) Drerupius in suppl. VII Philologi p. 550 sq. eo probavit, quod eius quattuor varietates cum hac codicis A classe consentiunt. Cui viro docto vehementer assentior dicenti haec: „Am ehesten gewinnen wir noch ein Gesamtbild von dieser im Altertume verbreiteten verwahrlosten Textgestalt, wenn wir unsern codex A (saeculi X), den Spross von irgend einem Zweige jenes wilden Baumes, mit dem vortrefflichen S vergleichen“. Quae sententia eo, quod lexicographus quoque Priscianeus eiusmodi exemplar antiquae vulgatae descripsit, non paulum fulcitur.

---

[1]) p. 370,4.

[2]) ad Arist. Pac. v. 32 ed. p. 13 Oxonii 1896.

§ 2. De Isocrate.

Inter illos decem oratores Atticos secundus a Demosthene Isocrates a lexicographo Priscianeo habitus videtur esse, cum illum quadragies, hunc vicies octies collaudaverit, quippe quorum hunc et lexicographus et ceteri sincerae dialecti Atticae praeceptores tamquam exemplar ad imitandum discipulis suis proponerent. Eadem de causa tertius quoque lexicographus Bekkerianus hos oratores multo pluribus quam ceteros exemplis donavit. Hunc autem tenuiore auctoritate quam Priscianum dignum esse vel ex iis duobus locis, quos uterque praebet, apparet: Is. VIII § 19 = p. 361,9 = Bkk. Anecdotis p. 176,14 et Is. ep. IV 11 = p. 308,15 = Bkk. p. 143,18, ubi Bekkeri lexicographus *νομίζειν* infinitivum a Prisciano integrum relictum in participium commutavit nec non extremam totius exempli partem detruncavit. Prisciani quidem auctoritas non solum a Keilio in „Analectis Isocrateis" Lips. 1885 p. 80, sed etiam planius et accuratius a Drerupio in praefatione editionis recentissimae Isocrateae [1]) perponderata est. Itaque relinquitur, ut accedam in plerisque Drerupio, qui qua est eximia liberalitate, me de singulorum codicum vulgatae memoriae lectionibus certiorem fecit. Vulgata enim praeter codicem Urbinatem (*Γ*)

codices: Laurentianum (*Θ*) [2])
Vaticanum (*Λ*)
Parisinum (*Π*) amplectitur,

quos ad idem archetypum atque Urbinatem redire Drerupius in stud. Lips. vol. XXX p. 64 demonstravit. Idem vir d. me de causis non celavit, quibus

---

[1]) vol. I. p. CXI Lips. MDCCCCVI.

[2]) Utar in orationibus denotandis iisdem numeris, quos Blassius (in ed. Lips. 1889) singulis orationibus corporis (Isocratei) dedit, sed siglis codicum a Drerupio statutis, de quibus cf. praef. CXCVIII.

adductus esset, ut in praef.[1]) omnes lectiones soli Prisciano peculiares funditus reiceret has:

Prisc.:	codd. Isocratei:
1. I 34 = p. 295,75 διάνοιαν	γνῶσιν Γ, γνώμην Λ Π Σ Υ
2. XIX 23 = p. 287,23 ἑαυτοῦ	ἐμαυτοῦ
3. XIX 24 = p. 194,7 ἐν[π]εδειξάμην ἐν	ἐπεδειξάμην ἐν; vulg. ἐπέδειξα μέν Γ
4. XIV 27 = p. 195,16 διελύεσθε	διελέλυσθε Γ, διελύσασθε Θ Λ[2])
5. VIII 34 = p. 281,23 ἀπολαύωσιν[3])	ἀπολαύοντας.

5. Dolendum autem est, quod in orationis VIII § 34 papyrus Londinensis[4]) tantopere lacerata sit, ut sex litterae inter = λαύ = syllabam et ν litteram vocis insequentis ὧν exciderent. Itaque aperte diiudicare nequimus, utrum ἀπολαύοντας codicum Isocratis an ἀπολαύουσιν Prisciani in ea scripta fuerit. Correctio autem Keilii l. l. formae ἀπολαύωσιν in ἀπολαύουσιν, quae male ad alteram coniunctivi formam λάβωσιν in subsequenti enuntiato excitato accommodata est, codicibus Isocrateis similiter depravatis IV 33 ὁμολογουμένως pro ὁμολογουμένοις, quia de his quidem Isocrates iam dixerat § 34 ineunte: τὸ λαβεῖν τινῶν ἀλλοτρίων μέγιστον ἀγαθὸν νομίζοντας et V 31 λαμβάνωσιν codd. Θ Λ pro -ουσιν terminatione codicum Γ Π a Muenschero[5]) firmatur. Albrechtus quidem[6]) lectioni palmari Priscianeae a Keilio detectae frustra haec opposuit dicens: „der Vergleich mit den geköderten Fischen bleibt auch so bestehen und corruptelae

---

[1]) P. CXI.

[2]) Quam formam Benselerus acceperat: διελύεσθε

[3]) in Journal of Phil. XXX ed. Bell. p. 19.

[4]) haec forma a Keilio in An. Is. p. 49 annot. 3 in ἀπολαύουσιν apte correcta est.

[5]) In „quaestionibus Isocrateis" diss. Gott. 1895 p. 22.

[6]) in annalibus qui inscribuntur Jahresber. d. phil. Vereins 1890 p. 18.

ansam — er meine bei Priscian — neminem non videre". Neque enim nego non minus facile *ἀπολαύουσιν* formam apud Priscianum ad *λάβωσιν* formam postea male accommodatam esse posse, quam *ἀπολαύοντας* accusativum in codicibus Isocrateis ad reliqua sex participia in *οντας* cadentia adaptatum esse. Variant codices Xenophontei in Cyropaediae II 3,4 eodem modo A G a pr. m.; *τοὺς μὴ θέλοντας* C, D, G a m. corr.: *τοῖς μὴ θέλουσιν*. Tamen Isocrates dativum *ἀπολαύουσιν* scripsisse videtur, ut eo quod cum dativo *δελεαζομένοις* „cibo allectis" scil. piscibus alterum participii dativum adiectivo *ὅμοια* subiunxit, comparationem concinniorem redderet. Nam cum hae duae actiones verborum *δελεαζομένοις* et *ἀπολαύουσιν* proprie ad pisces solos quadrent, ceterorum participiorum actiones velut *πάσχοντας* et *ὄντας* et ad pisces et ad homines comparatos pertinent (cf. XIX § 24 *δόξουσι* codicis *Γ* pro Bekkeri emendatione: *δόξωσι*). Hac ipsa de causa Keilius non habet, quod nullo Prisciani testimonio iam usus *ὄντας* in *οὖσιν* dativum ultro commutare non vereatur.

1. Alteram autem Prisciani solius lectionem *διάνοιαν* pro *γνῶσιν* codicis *Γ* et *γνώμην* vulgatae foedum glossema esse Drerupius et in praefatione p. XXVI et per litteras mihi persuasit, quandoquidem l. l. hanc orationem non tam ab Isocrate, scriptore in verbis eligendis cautissimo, ut Dionys. de Isocrate cap. II. p. 56 (Useneri ed.) *καθαρὰ μέν ἐστιν ἡ* (scil. *Ἰσοκράτους*) *λέξις οὐχ ἧττον τῆς Λυσίου* testatur, quam a nescio quo sophista — fortasse a Theodoro Byzantio — conscriptam esse demonstravit.

Ut Drerupii ipsius verbis utar: „Wohl aber ist es sehr wohl möglich, dass der Autor selbst (aus Prodikëischen Tendenzen) *διάγνωσις* und *γνῶσις* hier zur synonymischen Unterscheidung gegenübergestellt hat." Antea enim conieceram *δι ά-νοιαν* nomen genuinum ad alterum nomen hoc praecendens *διά-γνωσιν*

a codicis Urbinatis librario ita adaptatum esse, ut ad hoc nomen compositum simplex n. responderet. Sed nunc ad Drerupii sententiam de glossemate stabiliendam plura verba similiter in codicibus Priscianeis in synonyma commutata colligam haec: Isoc. X 57 = p. 376,5 χάριν εἰδότες pro χάριν ἔχοντες, ubi Priscianus fortasse lemmate suo, quod est χάριν ἔχω σοι καὶ οἶδά σοι, adductus est, ne, cum ἔχω verbi exemplum Demosthenicum iam protulisset, alterius quoque exemplum afferre intermitteret.

II § 27 = 195,6 mendum πολιτείαν pro πόλιν Isocratis codicum et lectione alio Isocratis loco Papyri Massiliensis[1]) reperitur, quia librario Priscianeo iunctura verborum, quae est πολιτείαν διοικεῖν usitatior et ad Isocratem aptior visa est [2]). Aristoph. Pac. 31. verbum χρή Priscianus altero loco (p. 313,17) integrum reliquit, altero (p. 288,22) in δεῖ commutavit cf. Is. ep. I § 51, ubi corruptionem gradatim procedentem observamus: δεῖ Γ, δή Ζ, χρή ΛΠ. — 2. Ut h. l. Drerupius me, ita eum in Isocr. XIX § 23 de sententia demovi, ubi per litteras Prisciani lectionem palmarem ἑαυτοῦ pro codicum Isocrateorum ἐμαυτοῦ nunc agnoscit, quam olim. l. l. una cum ceteris reiecerat. Hoc enim pronomen tertiae personae, etsi ad primam verbi personam ἐπειρώμην referendum est, suo loco stare iamdudum Keilius l. l. p. 104 evicit, ubi pronomen ἑαυτοῦ non solum alterius personae σεαυτοῦ pronominis vices gerens octo exemplis, sed etiam altero Isocratis exemplo (V § 129) vices primae personae ἐμαυτοῦ ut h. l. gerens monstravit. Neque vero audiendus Dyroffius in hist. pron. refl. II. p. 56, qui non solum haec duo exempla, ubi ἑαυτοῦ pronomen locum ἐμαυτοῦ pronominis occupavit, sed etiam illa octo exempla ἑαυτοῦ pronominis alterius pers. refl. vice fungentis

---

[1]) cf. Schoenium „Mélanges Graux" p. 497.

[2]) cf. eandem aberrationem in Bekk. An. p. 175,12.

emendando in codice *Γ* ceterisque codicibus oblitterare ausus est. Hunc „tragicum", qui vocatur, usum pronominis ἑαυτοῦ Isocrati non esse abiudicandum copia eorum exemplorum demonstratur, quae librarii Isocratei integra reliquerunt. Quot locis hunc usum velut h. l. iam scribae codicum Is. oblitteraverint, nescimus; nostro quoque loco huius usus inscii unam μ litteram eo facilius adicere potuerunt, quod in versu praegresso idem pronomen reflexivum τῶν ἐμαυτοῦ legerant. Hanc Prisciani lectionem difficiliorem intellectu praefero, non quo pronomen brevi intervallo repetitum suspicionem mihi afferat, sed quia grammaticus eundem usum non ignorans et exemplo Menandreo p. 290,3 lemmateque et p. 290,10 duobus exemplis similem pronominis ἑαυτοῦ usum reciprocum stabilivit.

3. Tum in huius orationis § 24 p. 194,7 a Prisciano excitata forma ἐνεπεδειξάμην, etsi a Keilio p. 137 apte in codicibus Priscianeis instaurata, tamen nondum Isocrati reddita est. Sed ἐνεπεδειξάμην formam ab Hertzio Prisciano obtrusam ab Isocrate alienam ob praepositionum (scil. ἐν et ἐπί) abundantiam esse Drerupius per litteras me docuit. Itaque utrum verbum compositum ἐπεδειξάμην ἐν codicum Isocratis an ἐνεδειξάμην ἐν Prisciani eligamus, ex auctoritate testium sola pendet. Quorum illos Drerupius, ego hunc sequi malo, quia propter hanc eiusdem ἐν praepositionis abundantiam iam lexicographus Priscianeus totum exemplum protulit. Ea ipsa de causa hoc unum exemplum Graecum a ceteris Graecis, quae (inde a p. 194,20 — 195,10) abundantiam praepositionum synonymarum illustratura sunt, exemplis Latinis interpositis sepositum est. Hanc ordinandi rationem Priscianeam Keilius, si perspexisset, hoc primum exemplum (p. 194,7)[1]) voluntate a Prisciano sepositum cum ceteris neque coniunxisset neque tertium exemplum

[1]) A. Is. p. 137.

Isocrateum (p. 195,6) post Aristomenis versus ultro transposuisset. Praeterea l. l. in annot. septem exempla verbi ἐπιδείκνυσθαι cum ἐν praepositione ab Is. sociati diligenter, sed unum verbi ἐνδείκνυμαι ἐν collegit: VII § 37: πολλὴν ἀρετὴν ἐν τῷ βίῳ . . . ἐνδεδειγμένοις. Male non solum alterum exemplum IV § 61, ubi idem εὔνοιαν nomen cum ἐνδείκνυσθε ἐν coniunctum legitur. sed etiam X § 59 ἐν . . . ἄλλοις τὴν . . . δύναμιν ἐνδείκνυται neglexit — 4. Restat, ut imperfecti temporis formam διελύεσθε Prisciani in Is. XIV § 27 = p. 195.6 pro διελέλυσθε plusquamperfecto codicis *Γ* et διελύσασθε aoristo vulgatae [1]) rationibus defendam. Causa autem, quam Keilius (p. 64 an. 1) ad imperfectum labefactandum ex eius significatione deducit, magis in linguae Germanicae leges quam in linguae Graecae leges cadit. Constat enim Graecos persaepe, ubi Germanis plusquamperfectum solum suo loco ponendum esse videtur, imperfecto usos esse, ut satis habeam Keilio Stahlii verba in „syntaxi verbi Gr." p. 106,2 (Heidelbergae 1907) opponere haec: „Das Imperfect bezeichnet eine dauernde Erscheinung, die einer vergangenen vorausgeht, als dauernde Vorvergangenheit; vergleiche Thuc. III 2,1 et VIII 26,1"
Mihi quidem dicendi Isocratis usus suprema lex esto! Hic ἐπειδή coniunctionem, ex qua dubia forma pendet, his duobus tantum locis cum plusquamperfecto tempore sociavit, qui sunt XII § 129 cum ἀπολελαυκὼς ἦν et or. XVIII § 53 ἐπειδὴ δ' ὁ κηδεστὴς μὲν ἦν ὁ τούτων κατηγορικῶς. Utroque loco ad id, quod non simplex forma plusquamperfecti sed forma plusqu. per ambitum ἦν imperfecti cum participio formati ab Isocrate in usum vocata est, mentem dirigas velim. Cum Kuehnerus et Blassius (in Gr. Gr. I fasc. II p. 99 annot. 9) satis monstraverint, quantopere hae formae

---

[1]) H. l. plusquamperfectum διελέλυσθε suo loco non stare iam ii scribae archetypi codicum vulgatae memoriae senserunt, qui id arbitrio in aoristum commutaverunt.

inter se differrent et quanto propius altera ad imperfecti significationem accederet, mihi nemo non dabit haec duo exempla ad *διελέλυσθε* simplicem plusquamperfecti formam confirmandam nihil valere. Itaque statuere mihi licet ab Isocrate nusquam plusquamperfecti meri formam, duodevicies secundum Preussii indicem [1]) imperfecti formam cum *ἐπειδή* coniunctione coniunctam esse. Cum usus tantopere sibi constet, Blassio praeeunte *διελύεσθε* formam Prisciani praefero, praesertim cum facile ‚*λ*ʻ littera in uno codice *Γ* duplicari potuerit. Priori autem harum *λλ* litterarum eo facilius *ε* littera accrescit, sive quod *λε* reduplicatio huius verbi scribae notior sive quod ‚Eʻ littera in -*εσθε* terminatione nunc abundante praesto ei erat. Nec aliter codices Isocratei variant V § 56, ubi formam *ἐποιήσατο* codicum *ΘΛ* male in *ἐπεποίητο* formam codicis *Γ* abisse Muenscherus l. l. p. 31 probavit. Nunc transeamus ad undecim lectiones, quas Prisciani lexicographus cum *Γ* codice communes habet, a Drerupio [2]) iam collectas has:

Prisc. et codex *Γ*	Codd. vulgatae:
1) II 27 = p. 195,6 *συνδιατρίψεις*	*συνδιατρίψης*
2) *διοικήσεις*	*διοικήσης*
3) IV 16 = p. 372,12 *ἵφ'*	*ἐφ'*
4) IV 66 = p. 330,9 *ἐπὶ δὲ τῶν μεγίστων, τὸν . . .*	*ἐπὶ δὲ τῶν μεγίστων στάς, τὸν . . . στάς* [3])
5) XIV 2 = p. 366,13 *περὶ* praepositio ante *τοιούτων* apte omissa est.	*περί* pr. in vulgata memoria (praeter codic. *Θ*) adiecta est.
6) VI 109 = p. 296,3 *ἐνθυμηθέντες* una cum codice *Θ*	*ἐνθυμηθέντας* *Λ* solus.
7) V 79 = p. 360,9 *συνειδῆς*	*συνίδης*
8) VI 104 p. 363, *πώποτε ἔσεσθαι*	*ἔσεσθαι πώποτε*
9) XIV 5 = p. 339,14 *τυχεῖν ἠξιώθημεν*	*ἠξιώθημεν τυχεῖν*
10) *Οὐχ ὅπως .. οὐ μετέχομεν*	*οὐχ ὅπως . . μετέχομεν.*

[1]) s. v. *ἐπειδή* Lips. 1904.

[2]) p. CXI.

[3]) Ab altera codicis *Λ* manu adiectum participium in *Θ* deest.

Aptius *οὐ* abnegatio redundans deest.

11) VIII 19 = p 361,9 *πάντας τρόπους* una cum papyro Londinensi 132	*πάντα τρόπον*

Singulariter hoc nomen ab Isocrate, simulatque „modi“ significationem induit, usurpatum esse Keilius p. 130 enodavit. Cum illae novem priores bonae, tum maxime hae novissimae duae lectiones depravatae utrique codici communes documento mihi sunt lexicographi Priscianei codicem cum codice Urbinate *Γ* artissimae cognationis vinculo coniunctum esse, praesertim cum propter ipsam lectionem *οὐ* aperte depravatam hoc exemplum ab illo prolatum sit. Nulla re enim cognatio, quae inter Priscianei lexicographi codicem et Urbinatem intercedat, artior quam his ambobus mendis paribus illustrari potest. Ex quibus concludere possumus ad codicis *Γ* archetypum lexicographi quoque Priscianei exemplar Isocrateum uno intercedente libro redire.

Sed Drerupius, cum has XI Prisciani lectiones iam congesserit, tres lectiones, in quibus Priscianus cum *Γ* contra vulgatam memoriam conspirat, neglexit has:

Prisc. cum *Γ*:	Vulgata:
12) IV 168 l. l. *τοῖς αὑτῶν ἰδίοις*	*τοῖς ἰδίοις αὑτῶν*
13) XIX 46 = p. 325,9 *υἱόν* [1])	*υἱόν* nomen deest.
14) VIII 143 = p. 368,2 *κατεχόντων* [2])	*κατασχόντων* in Antidosi.

Harum autem quattuordecim Prisciani et codicis *Γ* propriarum lectionum congruentia probatur librum huius codicis *Γ* persimilem — ne dicam eius gemellum — a lexicographo Priscianeo descriptum esse. Ad quam affinitatem neque X depravationes librariis Priscianeis debitae neque quinque lectiones, quae eaedem in aliquo trium codicum vulgatae memoriae

---

[1]) hoc integrum substantivum et a Prisc. et in codice *Γ* servatum est, ex quo unus vulgatae codex *Λ* correctus esse videtur.

[2]) una cum papyro Lond. margini adscriptum verbum et codicibus vulgatae, qui h. l. ex *Γ* correcti, in Antidosi integri relicti sunt.

nobis rursus occurrunt, quidquam valent. Sunt enim ad unam omnes tales, quales separatim et in codice lexicographi Prisciánei et modo in hoc vulgatae modo in illo eius codice librariorum arbitrio oviri solent. Unam ex his lectionibus ἄλλων [1]) Prisciani et codicis *Θ* pro ἀλλήλων ceterorum codicum vulgatae et cod. *Γ* minus ea de causa praefero, quod in eandem bonam lectionem nescio qui scriba codicis *Θ* incidit, sed quia eam retinendi ratio apud Isocratem in ipsa re haeret. Recte a me casui tributam esse hanc lectionis communionem in Prisciani codd. et in *Θ* exstantem Drerupio quoque placuit scribenti haec: „Also („vielleicht“ postea superscriptum) zufälliges Zusammentreffen von *Θ* und Priscian. Selbständige gute Lesarten hat *Θ* fast garnicht!“ Idem vir doctus Jacobum [2]) et Albrechtium [3]) testes citavit, qui demonstrarent lectionem Priscianeam ἄλλων deteriorem esse. Ut Hertzius invitis codicibus Priscianeis hanc scripturam in ἀλλήλων depravavit, ita Jacobus frustra ad orationis IV § 77 XIX § 27, XV 157 allegavit, quibus locis Albrechtius unicum locum or. II § 43: συνδιατρίβειν ταῖς ἀλλήλων ἀνοίαις μᾶλλον ἢ ταῖς ἐκείνων ὑποθήκαις addidit, ubi ἀλλήλων pronomen pronomini ἐκείνων contrarium est. Sed ne hoc quidem loco ἀλλήλων pronomen tam discretive dictum est, ut aliae personae aliis oppositae se invicem excluderent, id quod factum videmus hoc loco: τοῖς ἀλλήλων κακοῖς ἢ τοῖς <u>αὑτῶν</u> ἰδίοις κακοῖς. Sin autem s u i s et hostium malis magis quam s u i s ipsorum bonis gauderent, duo pronomina αὑτῶν ἰδίοις de industria coacervata nihil, cui funditus contraposita essent, haberent. Nam ἀλλήλων pronomen, cum „hos ipsos“ pronomini αὑτῶν oppositos complectatur, ipsi accurate oppositum esse nequit. Idcirco

---

1) IV 168 = p. 319,14.

2) Jahresberichte des Phil. Ver. I (1874) p. 15 sqq.

3) ibidem XVI (1890) p. 18.

ἄλλων rescribendum est, quod eius plenam vim contrarii ratio huius sententiae poscit, cuius generis unum e multis exemplis in eadem de pace oratione invenitur § 43 τῆς τῶν ἄλλων σωτηρίας τήν τε πατρίδα τὴν αὑτῶν. Eandemque emendationem in ἄλλων iam Hier. Wolfius [1]) et huius emendatoris inscius Cobetus [2]) de suo proposuerant. Denique Martinus [3]) diligenter observavit, quam crebro „verba οἱ ἄλλοι, οἱ ἀλλήλοι“ (melius ἀλλήλων genetivus tamquam exemplum eligi debuit!) „οἱ Ἕλληνες in hoc ipso codice Γ inter se mixta essent“. [4])

Libenter Drerupio assentior reliquas lectiones quattuor Prisciani et vulgatae esse reiciendas, sed eas non „cum vulgata“, sed cum parte vulgatae reiciendas esse scripsisset vellem. Or. XIX § 46 = p. 325,29 cod. Γ: ἥδιον εἶδεν υἱόν. Priscianus et cod. Δ: ἴδιον υἱὸν εἶδεν in ceteris codicibus vulgatae ἥδιον εἶδε.

Unus codex Δ vulgatae et in collocatione substantivi υἱόν, quod in ceteris vulgatae codicibus omissum, in Γ et Prisciani codice adiectum est, cum Prisciano conspirat. Quo nihil aliud demonstratur nisi hoc substantivum in archetypo codicum ΓΔ et Prisciani primum superscriptum postea variis locis insertum esse. Magis autem eo offenderer, quod eodem loco codex Δ et codices Priscianei in ἴδιον lectionem vitiosam pro ἥδιον inciderunt, nisi hanc „ι“ litteram separatim invadentem in utrumque codicem ob seriorem η litterae pronuntiationem — quam itacismum vocant — deprehenderemus. Cum Martino l. l. p. 23 dicenti: „Les fautes d'iotacisme (scil. in codice Γ) sont relativement rares ἔχῃ pro ἔχει p. 45,1 δή pro δεῖ p. 45,27“ et Urbinatis scripturae fidem habeam, Keilio loco l. p. 138 dicenti haec: „saepissime (scil.

[1]) in ed. Is. oratt. gr. et lat. 1570 p. 384.

[2]) Var. lect. p. 519.

[3]) le manuscrit Urb. p. 26.

[4]) cf. VIII § 141, VIII § 43, VI § 83.

in codicibus Priscianeis) ‚I‘ in ‚Y‘ aut *Γ* aut *Π* abire se invenire, nusquam in ‚H‘,“ haec exempla itacismi apud Priscianum oppono: ἀναίδην p. 284,17 pro ἀνέδην Dem εἰ... φανεις p. 294,8 pro ἦν... φανῇς Xenoph. Oec. XVIII § 1; διαλέγεσθαι p. 266,3 = 289,21 = Plat. Gorg. 458 D pro διαλέγεσθε, et p. 320,6 in Eupolidis fragmento καταχρᾶσθαι a Bergkio [1]) in καταχρᾶσθε correctae formae praegresso exemplo meo fides data est. Eodem loco *ΛΛΛΟΝ* a Prisciano l. l. ante ἥδιον adiectum esse facilius quam Hertzius inde explico, quod in Prisciani exemplari Isocrateo „*ΜΛΛΛΟΝ*“ adverbium in versu praegresso „*M*“ littera propter tot similes litteras omissa falsum in modum duplicatum est. Intervallum enim 34 litterarum inde ab ἥδιον bene congruit cum usitato [2]) illo versuum spatio 34—38 litterarum in cod. *Γ* et Demosthenis *Σ* ita, ut in Prisciani exemplari Isocrateo id non latius patuisse sumere possimus. Mendum autem, cuius Dreiupius p. CXI nostro loco Priscianum damnandum esse putat, Hertzius magis effecit quam grammaticus, quia ille non post μᾶλλον, ut par erat, sed post πολύ interpunxit. Si mecum priorem vocem πολύ falso repetitam esse statuis, quia eadem vox non solum subsequitur, sed etiam priore loco inepte posita est, locus faciliore negotio a me quam a Keilio p. 138 sanatus est. Qui v. d. versum 10 Hertzii sic interpolare ausus est: υἱὸν εἶδεν αὑτῷ πολὺ μᾶλλον pro πολλῷ μᾶλλον [καὶ] πολὺ μάλιστα καὶ πολλῷ μάλιστα. Ut neglegam ab eo lemma, a me uno πολύ verbo omisso restitutum, tanto arbitrio amplificatum esse, tamen eum reprehendo, quod πολύ adverbium ante μᾶλλον adiectum exemplari Isocrateo a Prisciano descripto obtruserit.

---

1) Commentationes (p. 360) ad com. Graec.

2) cf, Wattenbachii palaeographiam Gr. 3 ed. p. 23.

Quod cum eodem vulgatae codice *Λ* altera Prisciani collocatio: *λογισμὸς αὐτοῖς* pro praepostera: *αὐτοῖς λογισμός* VIII 110 = p. 303,$_{11}$ ceterorum Isocratis codicum conspirat, eo minime probatur a lexicographo Priscianeo haec verba sic ordinata lecta esse. Nam ab eo voces ultro transportatas esse in parte Platonica dissertationis meae infra demonstrabo.

Denique in lectione *σαυτόν* [1]) et Priscianus et Isocratis codices *Π* (Par. 2932) et *Σ* (Laur.) pro *σεαυτόν* codicis *Γ* cett. consentiunt. Sed hanc ‚*E*' litteram a Prisciani librariis omissam esse inde apparet, quod Priscianus ipse tam constanter trisyllabas formas pronominum *σεαυτοῦ* et *ἑαυτοῦ* usurpabat, ut ipse compluribus locis Xenophonteis [2]) ad veram formam *ἑαυτοῦ* restituendam adhiberi possit. [3])

Ac ne duodecim quidem lectiones Prisciani propriae eaeque falsae congruentiam eius cum codice *Γ* infringere possunt, quia sive a Prisciano sive ab eius librariis in transscribendo lexico demum corruptae esse videntur hae:

1—3. Tria synonyma a Prisciano confusa supra p. 17 tractavi.

Priscianus	codd. Isocratei.
4. IV 16 = p. 372,$_{11}$ *ὑμῖν*	*ἡμῖν*
5. XIX 5 = p. 339,$_{14}$ *εἰρήνης*	*εἰρήνης οὔσης*
6. XIX 27 = p. 195,$_{6}$ *εἰς*	*ἐπί*
7. VI 104 = p. 363,$_{9}$ *γεγονυῖαν*	*γεγενημένην*
8. ep. IV 11 = p. 308,$_{19}$ *ἀνάστασιν*	*ἄττα σίνη* [4])
9.⎫ XIV 5 = p. 339,$_{14}$ *συνθήκης*	*συνθηκῶν*
10.⎭ *οὕτως*	*τοσοῦτον.*

His accedunt duo vitia a Drerupio neglecta: VIII 19 [5]) *κατὰ πάντας τρόπους* Priscianus una cum

---

[1]) I § 34 = p. 295,$_{5}$.

[2]) Mem. II. 3,$_{1}$ = p. 189,$_{13}$ *ἑαυτοῦ* et I 2,$_{49}$ *ἑαυτῷ.*

[3]) cf. Is. XIX 23.

[4]) cf. de hac forma non Attica U. de Wilamowitzii librum „Aristoteles u. Athen" II p. 393.

[5]) a Bellio l. l. p. 10 edita.

papyro Londinensi [1]) pro *καί* codicum Isocrateorum praebet. Et in eiusdem orationis § 143 = p. 368,$_2$ de superlativo *μακαριώτατοι* Prisciani, [2]) quem nemo non in *μακαριστότατοι* formam ex papyro Londinensi corriget, diu dubitavi, utrum hanc lectionem intellectu difficiliorem quam *μακαριστότεροι* lectionem codicum Isocrateorum acciperem necne. Nam eadem lectio superlativi in memoria vulgata (Π^a Λ^a) Antidosis, in qua oratione haec ‚de pace' oratio tota fere denuo exhibetur, servata est. Tamen eam reicio, non quo *τοσούτῳ* dativum comparativum superlativus quoque trahere non possit, sed quia in genetivo comparativo, qui dicitur *τῶν κατεχόντων*, ex superlativo pendente haereo. Nam eum comparativum, non genetivum partitivum esse ex „isocoliae" figura ab Isocrate frequentata apparet, quae altero genetivo comparationis: { *μακαριστό-* ***τεροι*** ***τῶν*** ***τὰς*** *. . . κατεχ****όντων*** / *ἀτιμό-* ***τεροι*** ***τῶν*** ***τὰς*** *. . . . λειπ****όντων*** } contraposito efficitur.

His duodecim vitiis Prisciano peculiaribus, etiamsi in eorum numerum quattuor cum parte vulgatae forte conspirantes lectiones recipiuntur, tamen ratio, quae inter codices lexicographi Priscianei et Γ Isocratis intercedit, prorsus oblitterari non potuit. Atque hoc quidem Drerupius mihi concessit: „Ich gebe Ihnen gern zu, daß keine der Lesarten bei Priscian unmittelbaren Einfluß unserer Vulgata mit Sicherheit erweist". Atque ut Keilius p. 73 Dionysiano exemplari medium — ut ita dicam — locum inter Urbinatis Γ vulgatamque memoriam addixit, ita lexicographi Priscianei exemplari medium locum inter Urbinatis papyrique Londinensis memoriam assignare velim. Nam cum quinque tantum locos eosdem uterque praebeat,

---

[1]) l. l. p. 81.

[2]) = p. 361,$_9$.

duobus vitiis VIII § 19 *κατά* pro *καί* et § 143 *μακαριστότατοι* sibi peculiaribus et tertio vitio cum codice *Γ πάντας τρόπους* ibidem (§ 19) consentiunt. Nam has duas recensiones Isocrateas trium illarum loco, quas Keilius p. 83 proposuit, Drerupius tota dissertatione „de codicum Is. auctoritate" iure proposuisse videtur, de quibus l. l. p. 129 eius te conferre iubeo.

Idem quod de exemplari Dionysiano h. l. dixit, ad exemplar lexicographi Priscianei transferri posse demonstravisse mihi videor.

§ 3. De Lysia.

Lexicographus Priscianeus, postquam sublimis dicendi generis principes, Demosthenem et Isocratem, saepissime provocavit, tenuis quoque dicendi generis principem, Lysiam, saepius citavit eumque maiore numero testimoniorum — scil. octo — quam reliquos septem oratores adornavit. Quorum locorum ad unum idemque genus orationum, quas Graeci *φονικοὺς λόγους* vocant: duo *κατ' Ἀγοράτου* et unum *κατὰ Μικίνου* pertinent. Illius orationis adversus Agoratum conscriptae [1]) in priore excerpto ab archetypi Priscianei librario, qui convenientia terminationum *ων* et *αν* deceptus duobus nominibus *τοσούτων (ἂν) πραγμάτων* voculam *ἂν* interpositam omisit, et *οὕτως ἐκεῖνοι* verba ultro praepostere ordinata transposuit. In altera § 58 (= p. 367,7) eiusdem orationis lexicographus Priscianeus ipse post *ἐκεῖνον* mediis in verbis collaudatis *εἶναι* verbum in lexico excerpendo neglexisse videtur. Caveamus ne haec grammaticorum laudantium tritissima peccata ad exemplar Lysiacum a lexicographo Priscianeo in usum vocatum referamus. Immo vero hoc eadem fere praestantia qua exemplaria reliquorum oratorum fuisse statuere possumus.

[1]) XIII § 18 — p. 338,11.

In alterius orationis de homicidio adv. Micinum habitae frustulo [1]) „K“ litteram ex „T“ et „A“ litteris male conflatis (τά) ortam esse Sauppium (l. l.) secutus sumere malim quam hanc ‚K‘ litteram nihil aliud nisi καί coniunctionem detruncatam esse cum Hertzio conicere. Ut ille τά articulus olim in oratione exstiterit, forma participii δοκοῦντα, ad quam ille tendit, flagitatur.

Ut haec tria exempla ex uno corpore orationum caedis causa scriptarum originem trahunt, ita reliqua quinque exempla ad simile orationum hereditariarum corpus revocanda esse videntur. Horum enim quattuor frustulorum bina [2]) orationis de Hegesandri hereditate, bina [3]) orationis de Diogenis sorte sunt, et ad hoc genus orationum „κληρικῶν“ pertinere nemo nescit, quoniam illis et horum alteri κλήρου nomen diserte a Prisciano adiectum est. Quod uno loco p. 316_{7}, ubi deest, iniuria a Spengelio (p. 632) Sauppioque (p. 184) insertum est, quia Priscianus innumerabilibus locis genus singularum orationum addere intermisit. Ut exemplum afferam, quintum frustulum [4]) Lysiacum orationis adversus Cleostratum compositae, quae ipsa nisi unius esset Prisciani hoc testimonio cognita, ad quale genus spectaret, adumbrari posse Blassius [5]) negavit. Idcirco cautione, quae par est, adhibita coniectare mihi liceat, hoc quintum frustulum ex eodem corpore orationum κληρικῶν quo illa reliqua quattuor desumptum esse. Primum enim veri simile non est a lexicographo Prisc. plura quam duo orationum corpora Lysiaca adita esse, quoniam in his ea pauca exempla, quibus indigeret, affluentius ante se habuit. Quin

---

[1]) p. 298_{18} = editionem X oratorum B.(aiteri) S.(auppiique) p. 197.

[2]) p. 326_{12} et p. 291_{12}.

[3]) p. 365_{6} et p. 316_{7}.

[4]) p. 340_{3}.

[5]) in libro q. insc. „eloquentia Att.“ I p. 371 sub no. 124.

etiam verba frustuli ipsa suadent, ut de filii legitimi, qui matri suae victum in usum cedere iam noluit, hereditate agatur. Qua de causa *πάθοι* emendationem quoque levidensem pro codicum aperto vitio „*πάζοι*" a Krehlio in editione (p. 235) effectam praefero iis, quae Sauppius (p. 193 *παῖς εἴη*) et Scheibius [1]) nimis violenter cum litteris traditis agentes proposuerunt. Bonitate exemplaris Lysiaci [2]) a Prisciano descripti confisus *τούτων* pronomen a Sauppio inter *αὐτοῦ* et *τῶν* adiectum reicio, quia utrum hoc an illud ad conexum, a quo verba a lexicographo Priscianeo abrupta sunt, aptius quadraverit, nunc iam nescimus. Atque ad eiusmodi orationum genera orationes decem oratorum, si quidem plures ab uno eodemque conscriptae erant, ab editoribus antiquis digestas esse de uno ex iis, Isaeum dico, Harpocratio in voce *ταμίας* testatur his verbis „*Ἰσαῖος ἔν τινι τῶν κληρικῶν*".

Atque ad hoc genus omnes fere orationes Isaei, quae lucem tulerunt, spectant. Hanc ordinandi rationem si non ad omnes oratores, at certe ad Lysiam transferre possumus, quippe qui minime octo orationes eiusdem generis *λόγους κληρικούς* conscripserit. Horum ad indicem Blassii (l. l. I p. 365), ubi sub no. 73 titulus orationis hereditariae huius persimilis, qui est *πρὸς Τιμωνίδην*, rursus occurrit, te relego, ne in nudo titulo a Prisciano exhibito „*πρὸς Κλεόστρατον*" offendas.

Cum ceterorum frustulorum verba optime tradita sint, restat mihi, ut lemma alterius exempli ex oratione „de Hegesandri hereditate" deprompti aperte depravatum p. 326,13 = B. S. p. 188. „Illi *μέλλω γράφειν: καὶ γράψαι*" sanem. Postea vidi iam Christium [3]) in aoristi infinitivo *γράψαι* offendisse, qui de sanandi

[1]) cf. Thalheimium in ed. p. 364.

[2]) cf. pagina 297,11 [*τούτους*] *τοὺς νόμους* Spengeli. „emendationem".

[3]) Philologus VIII p. 149.

ratione dubius haeret, utrum *καὶ γράψειν* lemmatis verbis integris relictis adiciat an *γράψαι* in *γράψειν* corrigat. Hanc emendationem unice veram esse affirmo, sive quod *γράψειν* forma facilius effecta est, sive quod hic barbarismus *μέλλω γράψαι* lexicographo Prisciaueo, ut est Atticista, indignus est. Primus enim testimonium Phrynichi [1]) ad hunc futuri infinitivum restituendum adhibeo hoc „*Ἔμελλον γράψαι*" *ἐσχάτως βάρβαρος ἡ σύνταξις αὕτη. ἀορίστῳ γὰρ* . . .

Neque casu est factum, ut uterque Atticista ad *μέλλω* verbi constructionem stabiliendam in idem verbum *γράψειν* inciderit. Hac ratione ductus non dubito, quin inde a Bekkero (p. 406) omnes fragmentorum Lys. editores (velut Cobetus) [2]) *εἶναι* verbum in *ἰέναι* futurum tempus apte correxerint, ut duo futuri infinitivi „*ἰέναι*" et „*ποιήσειν*" eo concinnius coniungerentur et aequiperarentur, praesertim cum unus infinitivus futuri *ἰέναι* alteri *ποιήσειν* „*καί*" coniunctione annexus sit. Mirum in modum tertium lexicographum Bekkerianum cum Priscianeo congruere inde cognoscimus, quod ille quoque praeter orationes contra Eratosthenem (p. 176,27) et *ὑπὲρ Δεξίου ἀποστασίου* (p. 121, 5) habitas eandem orationem „de Diogenis hereditate" bis (p. 120,11 et 145, 8) collaudavit.

§ 4. De Aeschine.

Omnium X oratorum locos a Prisciano testatos praestantia prae reliquis scriptoribus florere vel iis perpaucis quinque locis Aeschineis denuo probatur, qui ad unum omnes ex oratione adversus Ctesiphontem habita desumpti sunt. Hoc inde factum est, quod hanc trium Aeschinis orationum superstitum tritissimam et Demosthenis orationem pro Ctesiphonte habitam

---

[1]) Lob. p. 336 = Rutherf. p. 420.

[2]) in editione IV Lugd. Bat. 1905 ad h. l.

inter se contrarias discipuli conferebant. Eiusmodi editionem Latinam ambarum orationum inter se comparatarum a Cicerone editam esse ipse in suae editionis praefatione servata, quae inscribitur „De optimo genere oratorum § 14“ testis est. Huius similem editionem Graecam a lexicographo Priscianeo in usum vocatam esse inde concludo, quod nullam nisi hanc orationem Aeschinis protulit. Iam vero in prima excitatarum p. 347,20 paragraphorum 38 pro *πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως* codicum Aeschinis Priscianus haec verba *πλείους ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστης πράξεως εἷς* praebet. Quae sana esse nequeunt, quia et nomen numerale *εἷς* inepto loco positum est et usus nominativi cum comparativo *πλείους* coniuncti, nisi forte *ἤ* particula additur, ab Aeschine — ne dicam a tota graecitate — abhorret. Iniuria autem Buechelerus [1]) codicibus spretis ex Aeschinis contextu *ἑνὸς* n. numerale, in quo nulla suberat suspicio, expellebat; nam Prisciani omissiones flocci habendas non esse tota dissertatione me demonstravisse puto. Accedit quod h. l. Priscianus ipse extremis verbis excitatis n. numerale postea adiecit, ut nesciamus, utrum *ἢ εἷς* legerit necne. Fortasse Priscianus *εἷς* nominativum suo arbitrio scripsit, ut similitudinem constructionum Graecae et Latinae „plus unum“ absolutam redderet.[2]) Si is lexicographus Priscianeus, qui *εἷς* interpolavit, id in codice suo nondum legit, aut verbum id praecedens *εἰσ-ί* male duplicavit aut hoc *εἷς* ex paragraphi 39 fine huc transtulit. Sed utut est, ratio conexus cogit *ἑνὸς* codicum Aeschineorum retinere.

Aliter res se habet de altero emblemate in § 87 = p. 355,17 „*ὁ νῦν* (*νυνί* codd. Aesch.) *πάντας* [*δε-*

---

[1]) in Mus. Rhen. vol. XXV. (1870) p. 593.

[2]) cf. dativum *Ἀθηναίοις* similiter ad dativum Latinum „impero tibi“ p. 280,12 adaptatum pro Herodoti (I 59) *Ἀθηναίων*.

ξιούμενος καὶ] *προσγελῶν τοὺς Φωκικοὺς ξένους* (scil. *διαβιβάσας* . . .) quod illa verba: *δεξιούμενος καί* non solum apud Priscianum, sed etiam in optima classe codicum ekl Aeschineorum desunt. Scribae autem reliquarum duarum classium B C codicum, (cf. Blassii praef p. X) ea inseruerunt. Blassius (l. l.) quamquam hanc „ekl" codd. classem puriorem reliquis duabus esse dixit (in praef. p. X.) his verbis: id quod confirmatum esset egregie membranis Aegyptiacis repertis eorum iudicium, qui in or. Ctesiphontea codices (ekl) tutissimos duces esse arbitrati essent. Hos codices Parisinos (kl) et Venetum (e) secutus esset neque talia emblemata defendisset vellem. A quot emblematibus classis ekl codicum vacua esset, Adamus p. 57 in diss. Lips. MDCCCLXXXVI „de codicibus Aeschineis" subtiliter perspexit, qui una cum quinque reliquis additamentis *καί* particula adiunctis hoc quoque emblema e contextu eici iussit. Iam ante eum Weidnerus in praefatione editionis Ctesiphonteae Latinae [1]) p. XXIV accessionem, unde factam putem, aptissime ita enodaverat: *προσγελῶν* idem esse quod *φαιδρᾶς ἀσπαζόμενος* vel *δεξιούμενος* et uncis saepserat. Miror quod postea in editione commentario Germanico [2]) instructa verba integra relinquendo id, quod bene perspexerat, videtur ipse damnasse. Nec aliter Pabstius, quamquam haec verba ex contextu expellere animum non induxit, — [in diss. Vimariae 1880: „de additamentis, quae in Aesch. oratt. inveniuntur" p. 50] concessit hoc: „fieri posse, ut vocis *προσγελῶν* interpretandae causa illud *δεξιούμενος καί* in margine scriptum esset." Accedit quod lexicographus Priscianeus, si *δεξιούμενος καί* ante *προσγελῶν* adiectum invenisset, praeceptum suum ex hoc exemplo deducere nequisset, ut ex *προσγελῶν* verbo *πάντας* accusativus penderet. Sed solum per *ζεῦγμα*,

---

[1]) Berol. 1872.

[2]) Berol. 1878 ad h. l.

si *δεξιούμενος* retineretur, accusativus ex *προσγελῶν* suspensus esset. Porro Klinkius in diss. Lips. 1887 „Quaestiones Aeschineae crit.“ p. 57, sin autem *καὶ δεξιούμενος* glossema defendebat his verbis: „languescere enim sententiam vocabulis illis omissis“, documento aliquo hanc sententiam suam confirmare intermisit. Cui v. d. quidem ex animo assentior dicenti Prisciani exemplar Aeschineum una cum Ioannis Siciliotae (p. 58) Pliniique (p. 57) exemplaribus Aeschineis ad genus ekl spectare „ex his aliisque verbis a testibus et in codd. ekl omissis apertum fieri“. Sed alterum huius cognationis signum eum fugit, quod syllaba *πω* in codicibus ekl Aesch. et a Prisciano adiectis in abnegatione: *οὐδεπώποτε* deest, cum in ceteris auctoris codicibus [1]) *οὐδέποτε* adverbium male praebeatur. Illam autem pleniorem formam h. l. adhibendam esse non solum Thomas Magister docet p. 259,16 Ritschl.: *τὸ οὐδεπώποτε ἐπὶ παρῳχημένου* [2]) *μόνον*, sed etiam Aeschinis usus sibi constans (cf. III § 118 et § 137) h. l. flagitat. Mos quidem Prisciani est, ut *οὐδεπώποτε* abnegationem in *μηδεπώποτε* et p. 341,25 *οὐδέν* Demosthenis in *μηδέν* commutaverit et priores duas syllabas *μηδέ* eodem modo quo in § 192 (= p. 281,7) tres syllabas *ἄλλο τι* vocis *ἀλλότριόν τι* duplicaverit. Ut has duplicationes librariis Priscianeis, ita etiam formam *ἐξορμήσας* in § 209 = p. 288,1 pro *ἐξορμεῖς* codicum Aeschinis iisdem deberi nemo non videt. Nescio an Priscianus [3]) quoque participii formas omnibus reliquis formis praetulerit. Huic lectioni primus firmamentum Hyperidis oratione adv. Demosthenem § 24 (Blassii) dem hoc: „*ἐξορμεῖς ἐκ τῆς πόλεως*“, quippe quae verba alter ex altero non surripiendi causa, sed palam imitandi causa descripserit.

---

[1]) III § 151 = p. 297,22.

[2]) nostro loco *ἀπεκάλεσε, ἔφη* alia.

[3]) cf p. 352,5.

§ 5. De Hyperide et reliquis quinque oratoribus decadis.

Eiusdem orationis Hyperideae frustulum (p. 324,$_{19}$) Priscianus quoque nobis servavit, quo demonstraturus est, *λοιδορεῖσθαι* verbum cum accusativo, qui est *οὕς* coniungi, quamquam hic ex illo per zeugma, recta via ex *ὕβριζες* verbo, quod ad illud *καί* coniunctione annectitur, pendet. Fortasse hoc ipsum exemplum non tam huius verbi causa quam rarioris verbi *ἀκρατοκώθωνας*, causa quod item a Polluce VI § 25 reprehensum erat, in eo continetur, a lexicographo prolatum invenit. In altero frustulo [1]) Sauppius non habet, quod *ἄξιοι* pluralen numerum codicum in singularem commutaverit; nam plurali n. a grammatico singularis num., qui eum sequitur, Latinus „dignus est" ea de causa praelatus est, quia hic in exemplo Vergiliano (Aen. VII 653) huic subiuncto usurpatus est. Ad hanc constructionem stabiliendam Aeschinis III § 99 afferam „*ἢ καὶ σφόδρα ἄξιός ἐστι μισεῖσθαι, ὅτι*", sed uter utro prius haec dixerit, „adhuc sub iudice lis est".

Quartum fragmentum orationis quae inscribitur Deliacus [2]) propter *ὁσήμεραι* adverbium, in quo *ὅσαι* cum *ἡμέραι* conflatum esset, ab Hyperide Pr. arcessivit. Nihilominus eiusdem adv. permulta exempla apud Demosthenem (velut adv. Tim. § 23) et Aristophanem (Plut. 1006) ei praesto fuissent, nisi voluntate ac ratione singulos decadis oratores advocare voluisset. De industria autem a lexicographo Prisciano decem quemque oratorum excitatum esse inde intellegitur, quod bina excerpta et Isaeo [3]) et Dinarcho [4]) tribuit. De reliquorum quinque oratorum, quorum quemque semel bisve de industria citavit, nihil habeo quod dicam.

---

1) p. 299,$_{1}$ = B. S. p. 297.

2) p. 334,$_{7}$ = B. S. 286.

3) p. 172,$_{15}$ = B. S. II p. 235 b. p. 355,$_{3}$ = p. 243.

4) p. 346,$_{14}$ = B. S. p. 339 et p. 293,$_{6}$ = B. S. 326.

II. Caput: De excerptis historicorum a Prisciano collaudatorum.

§ 1. De Xenophonte.

Deinceps ad excerpta, quae Priscianus ex Xenophonte dat, transeamus et inquiramus, quaenam ratio inter manuscriptum ab eius lexicographo descriptum et codices Xenophontis, qui exstant, intercedat. Hi autem a Schenkelio [1]) et a Sauppio in praefationibus singulorum scriptorum Xen. editionibus praefixis enumerati et in duas familias ita divisi sunt, ut earum altera codice Parisino (1640 C) [2]) vetustissimo, Par. B, Vat. A, Etonensique E, altera deterior ceteris omnibus codicibus contineatur.

Huius deterioris classis codices in diversis scriptis diversi sunt, sed in Cyropaedia prae ceteris codicibus codex Altorfinus vel Budensis, in ceteris scriptis Guelferbytanus (H) floret. Quamvis Priscianus et cum Altorfino unam lectionem *πυνθάνονται* et cum codice C duas lectiones *δέ* et *ἐπεδείκνυε* communes habeat, tamen cum neutra horum classe artiore cognationis vinculo cohaerere ex bonis et malis lectionibus Prisciani propriis apparet. Harum bonas tantum tractaturus sum, quippe quae ad restituendum Xenophontis contextum quodammodo adhiberi possint. Eo certius hoc facere possumus, quod codex Xenophonteus a Prisciano descriptus vetustiore aetate quam VI. saeculo, sed codex C anno 1320 p. Chr. n. scriptus est. Hac ipsa de causa facile est explicatu artiorem co-

---

1) Sitzber. d. Wiener Ak. LX 1869 p 564.

2) Cum ad priorem familiam codicum A B in aliis scriptis velut in Anabasi et Cyropaedia codex C pertineat, in iis, ubi singulas lectiones cum Prisciano communes habet, scil. in Hist. Graeca et Memorabilibus antistes alterius classis codicum vulgatorum est.

gnationem quam cum codicibus superstitibus ABE, C cum codicibus deperditis, quos olim Stobaeus et Pollux manibus volverunt, intercedere. Id quod pro numero verborum, quae hi et Priscianus communia habent, crebriore concentu lectionum probatur.

Sed primo loco mihi liceat, unum peccatorum genus, quod in syllabis male duplicatis continetur, paucis tractare, quia latissime patet. Unum ex his autem Cyr. VII, 3,7 = p. 358,18 *ὅπου* [1]) *ἂν αὐτὸν πυνθάνωνται ὄντα* eo speciem veri prae se fert, quod in deterioris classis principe codice, Altorfino, casu eadem depravatio legitur. Casui hoc a me eam ob causam datur, quod haec una lectio cum deterire classe, duae Priscianeae cum meliore classe codicis C contra ceteros codd. faciunt. Olim hunc pluralem numerum *πυνθάνωνται* (*ὄντα*) pro *πυνθάνηται* (*ὄντα*) pro constructione ad sensum, quam vocamus, habueram et ad *ὅσας* rettuleram. Sed Xenophon, si hunc pluralem ipse scripsisset, verbum *εἶχε* eiusdem enuntiati, quod hoc ipso pronomine *ὅσας* inducitur, pluraliter dixisset. Nunc autem nemo non ad *τούτῳ* verbum propius ab eo distans *πυνθάνηται* referet et illam terminationem ‚Ω Ν Τ Α' ad participium ‚ONTA' male accommodatam esse mecum statuet.

Pariter atque h. l. *ὄντα* in Agesilai VII 5 = p. 291,21 lectio *Φεῦ σοῦ* apud Priscianum ex *φεῦ* interiectione male in eandem ‚Y' cadente duplicata fortasse nata est. Neque adversor dicenti hoc *σοῦ* pronomen grammaticis de causis a Prisciano ipso ultro adiectum esse, ut hunc genetivum cum accusativo Latino ex „proh" interiectione suspenso componeret.

---

[1]) De *ὅπου* et *ὅπῃ* confusis cf. Cyr. I, 1,5, V, 5,41, VI, 3,11. Sauppius *ὅπου* Prisciani formam formis codicum Xenophonteorum *ὅποι* vel *ὅπῃ* praetulit, sed aperte iudicare non audeo, utra lectio praestet *ὅποι* Xen. codd. an *ὅπου* Prisciani.

Eodem modo grammaticus exempla Aeschinis III § 38 p. 347,20 εἷς pro ἑνός, eiusque diasceuasta p. 340,12 *Τί δή ποτε . . . οὔ τι* pro *Τί δῆτ' . . . οὔ τι* Aristophanis Eccl. 756 corrupit, quia hoc exemplum non ad suum, sed ad praegressum lemma lexici οὐδέποτε rettulit. Denique primam syllabam verbi δαπανῶσα, quae in ‚*ΔΕ*' abiit, in Hipparchico I 19 = p. 292,3 male duplicavit.

Iamiam prioris loci a Prisciano p. 293,12 ex Hist. Gr. IV, 8 § 22 laudati duae scripturae ei peculiares et οὐδέν et ἀρετῆς dignae sunt, quae ad restituendos codices superstites adhibeantur. Itaque totum locum collaudatum una cum codicum Xenophontis comparatione describo: „Attici" ἐγχειρητικώτερος ἀρετῆς. Ξενοφῶν Ἑλληνικῶν Δ: ἦν δὲ οὗτος ἀνήρ (sic recte Dindorfius, haud recte οὗτος ἀνήρ Hertzius) εὔχαρίς τε οὐδὲν ἧττον τοῦ Θίβρωνος,[1]) μᾶλλον δὲ[2]) συντεταγμένος καὶ ἐγχειρητικώτερος ἀρετῆς.

Pollux[3]) quoque libro II § 154 (p. 130 Beth.) duo extrema verba testatur, licet ἐγχειρητικώτερος formam in ἐγχειρητικωτέρους male commutata sit. Codices Xenophontei: ἦν δὲ οὗτος ὁ ἀνήρ (scil. Διφρίδας) εὔχαρίς τε οὐχ ἧττον τοῦ Θίβρωνος μᾶλλον δὲ (τε omnes codices praeter C) συντεταγμένος καὶ ἐγχειρητικώτερος στρατηγός. Hoc extremum verbum στρατηγός seclusit Cobetus in ed. (Lugd. Bat. 1882). Harum primam lectionem δέ Prisciani vel ea de causa praefero, quia non solum ab eo, sed etiam in altera familia codicis C Xenophontei praebetur, τέ particula autem facillime ad alteram τέ particulam post εὔχαρις in una priore familia codicum accommodata esse potest. Illam δέ se recepturum fuisse Dindorfius profitetur, „si satis certa

---

[1]) Θίμβρωνος A C.

[2]) τέ omnes codd. Xen. praeter C.

[3]) de fide Pollucis ad Anabasin restituendam cf. Schenkel, l. l. p. 579 annot 1.

esset librorum Prisciani auctoritas." Haec quidem fides ab Hertzio in editione nunc certissima facta est, atque *δέ* particula eo commendatur, quod hoc enuntiatum alteri, quod ab *ἦν* usque ad *Θίβρωνος* pertinet, oppositum [1]) est. Neque est mirandum, quod in illo enuntiato praegresso *μέν* particula, ut vulgo fit, *δέ* particulae respondens addita non est, sed particulae *τέ* et *δέ* inter se coniunctae sunt. Nam harum particularum ita coniunctarum exempla ex affluenti Hammerus (in dissertatione Lips. MCMIV: de *τέ* particulae usu Her. Thuc. Xenophonteo p. 83), collegit quorum haec duo Hell. VI, 5,41 afferam: *οἵ τε σύμμαχοι καὶ οἱ πολέμιοι πρὸς δὲ τούτοις καὶ ἅπαντες Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι*, et Hell. VI, 5, 30: *οἱ δὲ Ἀρκάδες τούτων τε οὐδὲν ἐποίουν καταλείποντες δὲ τὰ ὅπλα*...

Quoniam optio datur, utrum *τέ* an *δέ* accipiamus, hanc coniunctionem praefero, quia Xenophon hac qualitate Diphridam, de quo agitur, a Thibrone, in cuius locum successerat, distinguere in animo habuit. Hic enim, ut exercitus *βοηθοίη ἀτάκτως καὶ καταφρονητικῶς* (l. l. § 18) auxilio veniret, permiserat, quia magis in discum iaciendum et tibiis canendum quam in exercitum administrandum incumbebat. Atque profecto tales ludos in bello gerendo „voluptates" (id est *ἡδοναί* § 22) appellare potuit vel potius aperte dicere noluit Thibronem voluptatibus sive e cibis lautis perceptis sive musicis plus iusto indulsisse, cum de Diphrida haec verba faceret nostro loco: *οὐδὲ γὰρ ἐκράτουν αὐτοῦ αἱ τοῦ σώματος ἡδοναί, ἀλλ᾽*... Et in Mem. IV 5,2 et in Hell. I 5,1 *ἀρετῆς* — *ἡδονάς* eadem substantiva inter se contraria sunt. Hac una re subitus Xenophontis transitus ab *ἀρετῆς* nomine ad *ἡδονάς* substantivum ei contrarium explicari potest, quod

---

[1]) Primum enim adiectivum *εὔχαρις* ad ambos, alterum tertiumque pertinent magis ad Diphridam quam ad Thibronem.

huic Thibroni Diphridae integritas morum, ut erat „promptior ad fortissime res gerendas", opponitur. Id enim sibi vult ἐγχειρητικώτερος. Hanc difficiliorem eoque meliorem scripturam ἀρετῆς pro στρατηγός codicum Xenophontis apud vetustissimos testes, Pollucem l. l. § 49 Priscianum integram servatam habemus. Quorum alterumutrum testimonium ad lectionem ἀρετῆς fulciendam sufficeret, quia uterque vetustate fideque archetypum Xenophontis codicum longe superat. Cum Bethius hoc exemplum Xenophonteum apud Pollucem ἀρετῆς substantivo omittendo detruncaverit, Bekkerum Dindorfiumque, vetustiores Pollucis editores, secutus illam formam pleniorem ἐγχειρητικώτερος (sic scribe pro codicum Pollucis lectione ἐγχειρητικωτέρους) ἀρετῆς Ξενοφῶν in contextu Pollucis retinendam esse censeo, quod Pollucis similiter atque Suidae lexica [1]) non integra sed variis modis excerpta nobis tradita sunt. In quibus excerpendis crebro lemmata exemplis, exempla verbis spoliabantur. Accedit, quod codices Pollucis ipsi suadent, ut ἀρετῆς retineatur, quia in duabus familiis codicum Parisini A (s. XII) et Palatini C (s. XIII), qui ad duo inter se diversa apographa revocandi sunt, hoc substantivum exaratur. Sola autem secunda Pollucis familia codicum (F et S), quam ad unum apographum saeculo XII non vetustius referendam esse Bethius ipse in praef. p. XV nos docuit, ἀρετῆς nomine praeterito detruncata est. At Bethius, sive quod Prisciani testimonium ignorabat sive quod nimio studio Pollucis codices cum Xenophontis codicibus compensandi adductus est, ut ἀρετῆς omitteret, in errorem incidit. Miror qua Dindorfius inconstantia hanc Prisciani lectionem reiecerit, cum alias ὄκνουν (de qua p. 44 h. dissert.) ἑαυτοῦ (Mem. II 3,1 — p. 189,23) et ἑαυτῷ (Mem. I

---

1) cf. Krumbacheri h. l. Byz. 2 p. 568 de Suida detruncato.

2,49 — p. 171,21), ᾗ ἅ (Mem. IV 6,6 — p. 329,7) pro ἃ, quamquam hanc lectionem Priscianeam pro Castalionis coniectura habuit, probaverit. Idem enim editor hanc Prisciani lectionem frustra „ex frequenter confusis lectionibus *ἀρχηγός* (Anab. V, 2 § 25) et *στρατηγός* in codice C atque *ἀρχή* et *ἀρετή* apud Theognidem (v. 30)" explicabat. Quae exempla, quo pacto ad nostram rem et lectionem huius diversi ab Xenophonte poëtae et unius codicis Xenophontei C pertineant, me non intelligere profiteor. Ductus Prisciani litterarum *ΑΡΕΤΗϹ* et Xenophontis codicum *ϹΤΡΑΤΗΓΟϹ* tam longe distant, ut hoc glossema *στρατηγός* similitudine litterarum, quae inter id ipsum et *ἀρετῆς* intercedit, expeditum esse concedam. Tamen id ex ea f.ortum esse nego, quia fieri non potuit, ut quattuor novae litterae *ϹΤΓΟ* palaeographicis de causis a librario additae essent, nisi forte hic *στρατηγός* substantivum propter argumentum interpolare voluit. Cur illa genuina lectio *ἀρετῆς* ab eo oblitterata sit, his argumentis nunc demonstraturus sum; primum quod in constructione genitivi ex *ἐγχειρητικώτερος* adiectivo pendentis haesit. Huius quidem adiectivi cum genetivo coniuncti[1]) exemplum afferre nequeo, et si non est *ἅπαξ λεγόμενον*[2]) pro quo id vendidit Underhill in Marchantii editione ad h. l. Sed ab Aristophane Av. 257 *ἐγχειρητής* substantivum, a quo illud ductum est, cum eodem genetivo coniunctum est. Tum illa quoque ex causa, quod in significatione rariore *ἀρετῆς* substantivi, cui alibi indefinita vis „virtutis", hoc loco definita „fortis facinoris" a Xenophonte subiecta est, corrector offendit. Qui quidem

---

[1]) Solum hoc adiectivum nullo casu addito semel Archytas apud Stobaeum (Mein. vol. IV. p. 75) usurpavit: *καὶ ποιεῖ ἁ μὲν νεότας ἐγχειρητικώς, τὸ δὲ γῆρας προνοητικώς.*

[2]) vide Sauppium in lexilogo Xenophonteo s. v., qui verba ab optimorum scriptorum consuetudine recedentia cruce insignivit.

hanc significationem, etsi ex iunctura Herodotea (I 176 ἀρετὰς ἀπεδείκνυντο VIII 92) et Pindarica ἀρετὰς πράσσει Isthm. V 10 (Nem. VI 49) cognoscere debuit, tamen singulari numero hoc tantum loco subiciendam esse puto. Plurali autem numero apud Thucydidem persaepe hanc significationem subiciendam esse L. Lange in Nov. Ann. Phil. vol. CXLV p. 287 dixit. Quem secutus in sermonem patrium convertam hunc locum sic: „er pflegte zur Betätigung der Tapferkeit unternehmungslustiger (nämlich als Thibron) zu sein“, cum Sturzii (in lexico s. v. ἐγχειρ.) metaphrasis „in labore constantior dux“ optime, quantopere haec vox ἀρετῆς pro illius lectione στρατηγός desideretur, monstret. Ut praeteream neminem nescivisse eum ducem Lacedaemoniorum fuisse, hanc ipsam naturám Xenophon in enuntiato, quod deinceps subiunxit πρὸς ᾧ εἴη ἔργῳ, τοῦτο ἔπραττεν satis expressit, qui bis eadem languide repetere non soleat. Tum scribam, ut novum substantivum στρατηγός adiceret, eo adductum esse suspicor, quod eum fugit cuncta haec tria adiectiva ad substantivum ἀνήρ longius ab ἐγχειρητικώτερος distans referenda esse. Adde, quod cum alii scriptores Graeci tum X. verebantur qualitates, quae reapse velut h. l. ἐγχειρητικώτερος ad totum hominem per totam eius vitam pertinerent, intra terminos conditionis definitae velut hic imperatoriae (στρατηγός) coercere. Quamquam in omnibus VII Historiae Gr. libris de partibus, quas diversi duces in bello Asiatico gerendo ceperunt, agitur, nullo tamen loco titulus στρατηγός ulli ducis nomini additus, immo vero in novo duce inducendo constanter omissus est velut in Dercylida Hell. III, 1 § 8: ἀνὴρ δοκῶν εἶναι μάλα μηχανητικός. Hunc titulum additum non esse mirum non est, quod nemo Graecorum nesciebat, quinam Lacedaemoniorum duces tum fuissent. Recentiores autem lectores, a quibus sescenta talia additamenta immissa sunt, hac explicatione eguerunt. Idcirco idem nomen his diversissimis locis

insertum esse viris doctis videtur: Mem. I, 1,18 [*ἐννέα στρατηγούς*] a Schenkelio (Sitzungsber. Wien. Ak. LXXX p. 163), licet *ἐννέα* nomen numerale numero *μιᾷ* oppositum esse videatur, nam duobus ducibus nominatim prolatis in novem annumeratis efficerentur undecim, *στρατηγοί*, [1]) deinde in Mem. II 2,4 [*στρατηγόν*] unius codicis C propter *στρατηγοῦντα* praegressum a Cobeto (N. Lect. p. 656 Lugd. Bat. 1858 „quod quam pueriliter sit additum statim sentis") et ab eodem (l. l. p. 431) in An. II, 6,29 *θάνατον* [*στρατηγῶν*] sublatum est, quod „a mala manu insertum esse vel ipsa sedes indicaret."

Eadem causa ad *στρατηγός* nomen nostro loco eiciendum valet, quod adiectiva in *ικος* terminantia a Xen. substantivo suo postponebantur (velut Hell. III. 1. § 8: *μηχανητικός* al.). Ad extremum a Cobeto (N. L. p. 409) in An. I, 4,7 *Ξενίας ὁ Ἀρκάς* [*στρατηγός*] nomini proprio pariter atque nostro loco postea adiectus titulus e contextu amotus est. Porro Xenophontem non *ἦν* imperfecto tempore, sed aoristo velut *ἐγένετο* aut *ἑαυτὸν παρέσχεν*, si *στρατηγός* ipse addidisset, usurum fuisse dico; nam quoniam ducem nuper electum h. l. primo descripsit, huic rei imperatoriae, quae ei propria erat, praebendae occasio nondum erat. Neque enim ratio afferri potest, cur Pollux et Prisc., si *στρατηγός* nominativum tam facilem intellectu in codicibus vetustissimis suis repperissent, in *ἀρετῆς* genetivum cognitu difficiliorem commutavissent. Haec autem genetivi constructio utrique tam digna memoratu visa est, ut ille genetivum diserte adderet, hic eiusdem gen. causa integrum exemplum proferret.

3. Tertiam lectionem huius loci *οὐδὲν ἧττον* pro *οὐχ ἧττον* codicum Xenophontis meliorem esse puto,

---

[1]) Dem. Aristocr. 141 [*στρατηγόν*] al.

non quo Priscianus in abnegationibus [1]) servandis cautum se praestaret, sed quia usus Xenophonteus *οὐδέν* abnegationi cum *ἧττον* coniunctae favet; nam hic scriptor in Historia Gr. secundum Kelleri indicem editioni subiunctum novies cum *οὐδέν* vel *μηδέν*, semel VII 1,32 *οὐ πολύ τι ἧττον* cum *οὐχ* coniungebat, ubi quidem *οὐ ... τι* verborum societas ad *οὐδέν* formam proprius quam ad *οὐ* accedit. In Memorabilibus (secundum Mariae Gloth et Franciscae Kellogg indicem 1908) *οὐδέν* duodecies, *οὐχ* uno loco II, 6,35 sola ante *ἧττον* apud Xenophontem invenitur, ut in eadem § exstantem iuncturam *οὐδὲν ἧττον* variaret. In ceteris autem scriptis, si quidem Sturzii lexico fides haberi potest, *οὐδέν* quindecies, *οὐχ* semel Oec. I, 2,3 ea de causa legitur, quod *οὐδὲν* ambigue dictum esset; nam male pro obiecto, quod vocamus, verbi *διαμάχεσθαι* accipi potuit.

4. In altero loco ex Historia Gr. IV, 4,16 = p. 329,11 excerpto formae *ὤκνουν* Prisciani solius pro *ἐδεδίεσαν* codicum Xenophonteorum patrocinium suscipiam, quia exemplar a lexicographo Prisciano descriptum Xenophonteum VI. saeculo vetustius et fide dignius quam archetypum Xenophontis codicum (IX. saeculi) est. Tum illa quoque ex causa, quod hoc lexici Prisciani loco idem verbum *ὀκνῶ* litterarum ordine ita stabilitur, ut inter *οἶδα* (p. 329,6) et *ὀλίγον* (p. 330,6) lexici partes nullum aliud lemma intercidere potuit nisi hoc: Attici *ὀκνῶ τοῦτον καὶ περὶ τούτου.* [2]) Hos duos casus in lemmate olim exstitisse inde concludo, quod Priscianus ea verba potissimum Graeca et Latina collegit, quibuscum in utraque lingua iidem casus coniunguntur. Nam pergit scribere haec: Hinc

[1]) cf. p. 21 huius dissertationis.

[2]) De qua constructione cf. Xen. Cyr. IV, 5,20: *ὀκνεῖν περὶ ἡμῶν καὶ περὶ αὐτοῦ.*

Romani „piget" accusativo et genetivo coniungunt. In iis autem vocibus, ad quas probandas exempla a Prisciano prolata sunt, reliquias lexicographi Priscianei certissimas et summam fidem inhaerere aliae voces et Xenophontis velut *ἀρετῆς* (supra p. 2) et Thucydidis *ὀλίγον ἑαυτῶν*, (in Thuc. III. 59,2 = p. 290,10 *προσήρχοντο* p. 253,15) documento mihi sunt. Accedit quod formam verbalem *ἐδεδίεσαν*, quam in archetypo omnium nostrorum codicum fuisse patet, glossema esse vel eo probatur, quod haec forma ex analogia reliquarum pluralis n. decurrit. Xenophon autem *ἐδεδίεσαν* eam ob causam scripsisse non videtur, quod Phrynichus[1]) hanc formam tamquam ab Atticis alienam condemnat. Neque expressis verbis Xenophontem ab hac norma recessisse commemorat, id quod certe fecisset (cf. p. 37 Lob. s. v. *ἀπελεύσομαι*), si ille ea usus esset. Quare Sauppius iniuria et hoc loco et Anab. V, 6,36 *ἐδεδίεσαν* retinuit, iure Dindorfius in Anabasi l. l. *ἐδέδισαν* restituit. Nostro vero loco ne haec quidem medela sufficit; nam cum *ὤκνουν* rarius, *ἐδέδισαν* saepius legatur, *ἐδέδισαν* ad vocem *ὤκνουν* pro interpretamento ascriptum esse per se patet. Quare cum Dindorfio consentio, qui *ὤκνουν* e Prisciano in Xenophontis contextum recepit.

Dindorfii sententia Cobeto quoque probatur, qui talibus glossematibus Xenophontis textum aspersum esse demonstravit:[2]) Oec. XXI, 4, ubi *οὐκ ἐθέλοντας* pro *οὐκ ἀξιοῦντας* scriptum esse dicit. Hic. v. d. p. 629 alias quoque explicationes verborum velut in Xen. Conv. IV, 42 *σκοποῦντας* pro *ἀσκοῦντας* se insinuavisse dicit. Nimis doctum nostro loco archetypi interpolatorem fuisse nego, cum in verbo *ὀκνεῖν* cum accusativo p e r s o n a e iuncto haeserit. Itaque ipse supra

---

[1]) p. 180 Lobeckii.

[2]) Novae lect. 466, 629.

ὤκνουν scripsit glossema ἐδεδίεσαν, quae forma est ἑλληνισμός, οὐκ ἀττικισμός. Hoc autem glossema alter scriba, qui ad id advolavit, pro correctione habens solum in contextum recepit. Xenophon, cum rei accusativum ex verbo ὀκνῶ suspensum frequentaverit,[1]) personae accusativum non solum nostro loco, sed etiam altero loco Hist. Graecae III 1,20 ὀκνῶν δ' ἤδη τοὺς πολίτας varissime usurpavit. Sin autem hoc loco idem fortasse scriba in eadem constructione non offendit, facile inde est explicatu, quod hoc verbum transitive usurpatum alteri verbo cum accusativo coniuncto oppositum est: προσδοκῶν μὲν τὸν Φαρνάβαζον. Quare hic usus dicendi lenitus a scriba hoc quidem loco incolumis servatus est. Hoc autem glossema in codice Xenophonteo a Prisciani lexicographo descripto illud verbum nativum ὤκνουν nondum oblitteraverat.

5. Transeamus ad Agesilai [2]) capitis VII, § 5 = p. 291,21 ἐν τῇ Κορίνθῳ μάχῃ ὀκτὼ μὲν Λακεδαιμονίων, ἐγγὺς δὲ μύριοι τῶν ἀντιπάλων (haec duo verba in ceteris Xenophontis codicibus praeter unum C desunt) τεθναῖεν, οὐκ ἐφησθείς alia. Prisc. p. 291,21: ἐν τῇ ἐν Κορίνθῳ μάχῃ .... ἐγγὺς δὲ μυρίων τεθνᾶσι [3]) τῶν πολεμίων.

Ubi post verba ἐν τῇ omittitur praepositio ἐν in codicibus Xenophonteis, quae quia lege grammatica postulatur, ab editoribus additur. Quae in eodem loco menda Prisciani librariorum leguntur, τεθνᾶσι pro τεθναῖεν et μυρίων Λακεδαιμονίων pro μύριοι, cuius terminatio ad terminationem insequentis gen. Λακεδαιμονίων

---

[1]) Cyr. II, 2,21, VI, 1,17, III, 1,2.

[2]) Qui liber male ab aliis Xenophonti abiudicatus, ab aliis velut Nordeno (Antike Kunstprosa I p. 82 Anm. 2) et ab Ullrichio (in Ztschr. f. Gymn. Jahresber. XXX p. 80) et a Nitschio in Jahresber. d. philolog. Ver. V. p. 31 eidem iure denuo vindicatus est.

[3]) Forma male ex τεθναῖεν Xen. genuina a Prisciano depravata est.

accommodata est, apertiora sunt, quam ut de iis verba faciam.

6. Eo dignior, quae in contextum a Dindorfio Heilando aliis iamdudum recepta sit, lectio Prisciani τῶν πολεμίων est, licet haec verba more suo post τεθνᾶσι ultro transposuerit. Duo autem verba τῶν πολεμίων interno conexu desiderata esse iam scriba unius codicis C Parisini, qui suo Marte lacunam τῶν ἀντιπάλων verbis adiectis, quae eiusdem significationis sunt, consarcinare conatus est, sensit. Sauppius quidem hanc interpolationem pro bona scriptura opinatus in contextum recipere veritus non est, quamvis ab codicum Xenophonteorum archetypo aliena sit. Adde huc, quod πολεμίων substantivum a Xenophonte crebrius in Historia Gr. (scil. centies) quam ἀντίπαλος,[1]) in Memorabilibus πολέμιοι pluralis n. vicies septies, ἀντίπαλοι quater in usum vocatum est. Fac, ut usum Xenophonteum sequi aliis locis dubitemus, tamen hoc loco Xenophon sine dubio τῶν πολεμίων substantivum in usum ea de causa vocavit, quia idem h. l. alterum Historîae Gr. locum IV, 3,1 in eadem pugna Corinthia describenda imitatus ad verbum, quatenus potuit, aperte expilavit hunc: ὅτι νικῷέν τε αὖ Λακεδαιμόνιοι, καὶ αὐτῶν μὲν τεθνάναι ὀκτώ, τῶν δὲ πολεμίων παμπληθεῖς ἐδήλου et q. sqq. Loci Xenophontei eodem modo convenientes Ages. I, 11 = Hell. III, 4,6,

„ II, 2—5 = „ IV, 3,8-9,

„ II, 9—16 = „ IV, 3,16—21

alii a Clar [2]) collecti sunt. Quodsi Cornelius Nepos in Agesilai V § 2 eundem numerum „decem milia hostium“ praebet, non multum ad rem facit, quia ex hoc Xenophontis encomio sua sumpsisse videtur. Idem ad Plutarchi vitam Agesilai cap. XVI, 4 valet,

---

[1]) scil. decies quinquies.

[2]) Programm des Kais. Karlgymn. Aachen p. 5.

ubi est: *Σπαρτιατῶν μὲν ὀλίγους παντάπασι τεθνηκέναι παμπόλλους δὲ τῶν πολεμίων.*

7. Xen. Mem. IV, 6,6 codices:

	Οἶδας δέ τινας ἄλλα	*ποιοῦντας ἃ* [1]) *οἴονται δεῖν*
Pris. p. 329,7	„ „ „ „	*ποιεῖν ἢ ἃ οἴονται δεῖν*
Stob. II. p. 205 (Mein.)	„ „ „ „	*ποιεῖν εἰ οἴονται ποιεῖν ἐθέλοντας δεῖν.*

Ut sensus iustus evadat, *ἤ* necessario additur; quo fit, ut Castalionis coniectura confirmetur Prisciani codicibus, id quod viros doctos — (Dindorfium ad hunc locum, Schenklium Relat. Acad. Vindob. LXXX. [1875] p. 167) — adhuc fugit. Sin quaerimus utra lectio Stobaei depravationi *εἰ* (EI) cognatior sit codicum Xenophontis *ἅ* an Prisciani *ἢ ἅ*, ex hac Stobaei mendum — *ἅ* pronomine male praeterito — illam ortam esse litterarum ductus nos docent.

8. Inter horum testium, Prisciani et Stobaei, codices, amborum communio et particulae *ἤ* etsi a Stobaeo oblitteratae, et *ποιεῖν* infinitivi, qui pro *ποιοῦντας* participio Xenophontis codicum positus est, cognationem quandam eamque artiorem quam inter Priscianum et alteram codicum (C al.) familiam intercedere patet. Ne vero necessitatem artiorem quam parvam statuamus inter hos testes, primum impedit, quod in Stobaei codicem eodem loco post *οἴονται* foedum glossema *ποιεῖν ἐθέλοντας* invasit, quo Prisciani codex vacuus est. Gilbertus, etiamsi *ποιοῦντας* codicum in contextu Xenophontis integrum reliquit, tamen in praef. crit. p. LXXII profitetur „Videri Xenophontem scripsisse *ἄλλα ποιεῖν*: sic certe Priscianum hoc ipsum nominatim testatum esse“. Si res ita se haberet

---

[1]) Marchant (ad h. l. ed. Oxonii 1906 vol. II) in annotatione critica dicit: „*ἃ*] Priscian: omittunt codices“. Equidem Dindorfio Schenkelio l. l. maiorem fidem quam huic habeo.

et Prisciani infinitivi ποιεῖν causa ex οἶδας pendentis excitaret, non dubitarem infinitivum eius Stobaeique (l. l.) participio praeferre. Revera autem Priscianus in lemmate huic exemplo praefixo praecepit, ut et infinitivus et participium cum verbo οἶδας coniungi posset. Quoniam utraque significatio et participii secundum Kuehneri et Gerthii Grammaticam G. II p. 69: „wissen, dass etwas ist", et cum inf. coniuncti verbi οἶδας: „verstehen etwas zu tun" non male ad internum conexum quadrat, ex Prisciano infinitivum in Xenophontem transferre non audeo. Nam ποιεῖν ad δεῖν laudationis Priscianeae non minus facile quam ποιοῦντας participium in contextu Xenophonteo ad tria participia ποιοῦντες eiusdem § 6 et reliqua participia ibidem frequentata accommodari potuit. Sed ex hac communione falsae formae ποιεῖν apparet, quandam cognationem inter exemplaria a lexicographo Pr. et a Stobaeo descripta intercedere.

Omnes autem praeter Marchantum ad h. l. editores, qui οἶδας formam Ionicam cunctorum librorum auctoritate suffultam[1]) in οἶσθα f. Atticam correxerunt, non habent, quod illam f. Xenophonti abiudicaverint, quippe quae ab omnibus scriptoribus Atticis a Kuehnero I p. 240 collectis sine ulla dubitatione usurpata sit.

9. Ut hunc infinitivum ποιεῖν ita in Mem. I, 1,11 = [p. 278,15] = p. 296,21 alterum verbum compositum ἐπεδείκνυε codicis Parisini C pro ἀπεδείκνυε alterius classis codicum Xenophonteorum ad antiquitatem revocandum esse Priscianus Stobaeusque[2]) praeclari testes sunt. Hi cum meliore classe codicis Parisini C conspirantes verbo composito ἐπεδείκνυε maiorem veri speciem quam ἀπεδείκνυε formae induunt, quia alterius classis codicum vulg. sola iis contraria

---

1) cf. Epictetum in dissertation. III, 7,30, Xen. imitatorem.
2) Mein. III p. 107.

est. Sed ex eorum significatione nullum iudicii signum duci potest, quia tam similis utriusque significatio est, ut „iniuria ab Hirschigio [1]) illud *ἀποδεικνύναι* verbum compositum invitis codicibus vi sola confiso correctum esse“, Buechsenschuetzio dicenti [2]) ex animo accedam. Quam pertenui discrimine duo separentur Sauppius in „lexilogo“ s. v. *ἀποδείκνυμι* uno loco (Oecon. III, § 1) satis ostendit. His autem testibus tertius Isidorus Pelusiota [3]) accedit, cum eidem lectioni ab altera manu codicis B Par. effectae fides habenda non sit. Exemplar Xenophonteum a lexicographo Priscianeo descriptum, etsi ab eius et Prisciani librariis scripturae mendis non paucis affectum est, tamen novem Xenophontis lectiones speciem veritatis offerentes nitoreque antiquitatis [4]) splendentes nobis integras servavit, quae ab archetypo librorum, qui extant historici, omnium alienae sunt. Paucis lectionibus cum C communibus [5]) et una cum Altorfino communi (= *ωνται*) detractis nullum superest indicium, quo probari possit artiore vinculo Prisciani memoriam cum una alterave familia coniunctam esse. At tres lectiones cum Stobaeo et cum Polluce facientes Priscianeae non casui, sed antiquae vulgatae exemplaribus attribuam, quae tam inter se cognata quam longe ab archetypo codicum nostrorum XIV saeculi diversa erant.

---

1) In „Emendationibus“ p. 20.

2) Philol. XVIII (1862) p. 298.

3) Epistolarum V 202 = Migne Patrologiae vol. 78 edid. Possinus. p. 1453 C.

4) cf. Gerckium „Einleitung in die Altertumswissenschaft p. 50.: Athenaios' Zitate aus Xenophon übertreffen an Güte die erhaltenen Handschriften, aber trotzdem ist eine gewisse Freiheit nicht abzuleugnen“, et post pauca verba p. 51: Bei s c h l e c h t überlieferten Schriften wie denen Xenophons geben die Zitate eine R i c h t s c h n u r für die ganze moderne Textgestaltung ab.

5) *δέ, ἐπεδείκνυε.*

§ 2. De Thucydide.

Thucydidis, cuius septem tantum loci vitiis vacant, reliqui XVII loci tot depravationibus redundant, ut de iis agere operae pretium non sit; proinde solos eos locos commemoremus, ex quibus a lexicographo Priscianeo unum ex melioribus codicibus MEFAB Hudianis[1]) vel potius eorum archetypum in usum vocatum esse apparet. Sunt autem hi (quattuor):

		MEFAB et Prisc.	C G[1])
1.	II $91,_{4}$ = p. $186,_{8}$	*ἀντεξόρμησιν*	*ἀντεφόρμησιν*
2.	I $23,_{5}$ = p. $310,_{14}$	*προύγραψα* [2])	*ἔγραψα*
3.	IV $182,_{3}$ = p. $310,_{21}$	*δέοντι* Prisc. *δέον* [3])	*δέοντος*
4.	II 12 = p. $287,_{1}$	*μεγίστη δή* (G m. 2)	C F *δή μεγίστη* [4])

Ex eiusmodi lectionibus ea, quae libris ABME (F) continentur, artiore cognatione coniuncta esse cum Prisciani grammatici scriptis apparet quam, quae in altera codicum classe C G tradita videmus.

---

1) v. d. signis editionis Thuc. praefationem (I p. VI).

2) licet altera pag. $366,^{3}$ in *συνέγραψα* Prisciano invito corruptum sit.

3) *δέοντι* forma codd. Thuc. non tam Prisciani quam eius librariorum opera in *δέον* detruncata est, qui cum eadem fere syllaba *τ(ρ)ι* — nominis num. *τριακοστῷ* subsequatur, illam priorem *τι* pro *τι* syllaba male duplicata habentes omiserint. Ergo verba ab Hertzio in lemmate interpolata „*δυοῖν δέον* pro" neglegere licet.

4) et Dionysius Halic. de Thuc. ind. p. 871,13.

Corrigenda et addenda:

p. 3,20 iuberet; p. 4,19 εἶναι; p. 6,29 assolet = p. 13,11 noniam; p 7,3 „lexicographus“ (pro 1); p. 6,8 condicionali=p. 10,16 = p. 42,25; p. 8,20 „de“ pro „cum“; p. 8,29 attribuerit; p. 9,18: A; p. 10,7 Ἀθηναῖοι; p. 10,10 ἤμελλον, an. 1 formam = p. 35,15 pluralem; p. 12, an. 1 eundem; p. 12,15 τῷ; p. 13 an. 1 συζῆν et ἄν; p. 16,6 ἐπεδειξάμην; p. 16,11 ἀπολαύωσιν; p. 16,23 τι τῶν; p. 17,8 m.: τοὺς μὴ θέλοντας; p. 17,29 Λυσίου; p. 17,38 praecedens; p. 20,29 κατηγορηκώς; p. 21,33 post 363: 21; p. 22,12 co-gnatio; p. 25,25 facieiore; p. 25,27 (πολλῷ μᾶλλον) καὶ πολὺ μάλιστα (καὶ πολλῷ μάλιστα); p. 26,7 adde: Crit. 43 D = p. 364,1 , 44 E = p. 358,18; p. 34 an. 3: cf. =p. 25 an. 2; p. 34,3 si pro sin autem; p. 35,29 unumquemque; p. 37,13 deteriore; p. 28,18 in libro; p. 41 an. 1 προνοητικῶς; p. 45,5 42; p. 46,8 pariter; p. 47 an. 2 1890; p. 48,11 Schenkelium, sed p. 38 an. 3. Schenkl; p. 48,16 „ortum“ pro illam ortam; p. 49,1 Priscianus; p. 50 an. 4 cancellos adde post ‚Altertumsw.“ et ante „Athenaios.“ Confusae sunt annotationes ³) et ⁴) p. 16 et ⁵) p. 26 et ¹) p. 27 inter se. p. 10,9 κατηγορεῖν; p. 10,30 δυσχερές.

Addenda: punctum p. 5,17 post or.; p. 23,20 post 77; p. 26 an. 1 post II; p. 33,6 post praef.; comma p. 4,6 post extrema; p. 8,18 post ea; p. 10,18 post voce; p. 24,17 post εἶδεν; p. 24,31 post 45,1; p. 35,5 post οὕς; semicolon p. 7,26 post Vindob.; p. 18,17 post commutavit; p. 25,4 post Dem. Exstinguenda: p. 35,11 erat, interpunctiones: punctum p. 3,15 post a; p. 4,19 post „sic“; p. 4 an. 1 post „libro“; p. 5,5 post 301,12; p. 6 an. 2 post ed. ad; p. 7 an. 1 post „ad“; p. 10 an. 3 post „et“; p. 18,15 post 31; p. 30 an. 2 post „Spengeli“; p. 45,23 post hic, comma p. 11,3 post ignoret; p. 33,5 post est; p. 37,6 post liceat; p. 43,5 post undecim; lineae delendae sunt p 5,9, cancelli p. 12,21 ante pro.

Transponenda: comma p. 27,13 ante τῶν; p. 35,10 ante quod; p. 39,11 ante quorum; p. 13,4 comma pro puncto post sentiebant; p. 12,9; pro: post familiis.

VITA

Natus sum Ernestus Augustus Mueller a. d. XVI Kal. Februar. anni 1885 in oppido Brunsvicensi, cui nomen est Helmstadium, patre Friderico, qui gymnasii magister superioris ordinis nuper emeritus est, et matre Emilia e gente Hergens Oldenburgensi, quam praematura morte mihi infanti abruptam esse valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis in schola civili imbutus Helmstadii gymnasium Ducale puer decem annorum adii, cuius professores cum omnes, tum *Eissfeld* et *Wagenführ* (nunc Blankenburgensem) grato animo colo.

Autumno anni IV huius saeculi maturitatis testimonium, quod vocatur, adeptus Gottingae per tria semestria studiis philologicis et historicis me dedi. Deinde Regimontum Borussorum me contuli, ubi inde a vere anni VI h. s. septies sex menses civibus academicis adscriptus fui.

Docuerunt me viri clarissimi:

a) Gottingenses: *Leo, I. Wackernagel, Ed. Schwartz, Busolt, Dilthey †, Schulten, Stein, Viertel, G. E. Müller, Baumann, Rahlfs, Kattenbusch, Knoke, Tschackert, Bonwetsch, Bousset, Peipers.*

b) Regimontani: *Baumgart, Bezzenberger, Deubner, Goedeckemeyer, Heinze, Jeep †, Kowalewski, Krauske, Ludwich, Rossbach, Rühl, Schöne, Tolkiehn, Walter, Werminghoff, Wünsch.*

Ad proseminarium philologorum Gottingense me admiserunt vv. dd. *Leo, Schwartz,* ad seminarium philologicum et ad exercitationes linguisticas *Wackernagel,*

ad proseminarium Regimontanum, cuius senior fui, *Deubner, Jeep †, Ludwich,* ad seminarium philologicum Regimontanum, cui sodalis ordinarius per quattuor semestria interfui, vv. illustrissimi *Deubner, Jeep †, Ludwich, Rossbach, Schoene.* Et proseminario historico, quod *Stein,* seminario, quod *Busolt* regebat, seminario historico Regimontano *Rühlio* et *Krauskio* moderantibus per sex semestria sodalis interfui. Exercitationibus historiae ecclesiasticae ut interessem, permisit *Tschackert,* archaeologicis vv. dd. *Dilthey †, Rossbach,* philosophis *Goedeckemeyer,* exegeticis *Schürer* societati Plautinae *Jeep.*

Omnibus his praeceptoribus meis gratiam habeo semperque habebo quam maximam, imprimis vero *Jeepio †, Ludwichio, Rossbachio, Wünschio,* qui in hoc opusculo conficiendo summa cum benignitate me adiuverunt.